COMMENTARII

in Exercitia Spiritualia

S. P. N. IGNATII

TOUS DROITS RÉSERVÉS

COMMENTARII

IN

Exercitia Spiritualia

S. P. N. IGNATII

CONCIONATORIBUS ETIAM ACCOMMODATI

AUCTORE

P. Antonio Denis, S. J.

TOMUS PRIMUS

ALMA COLLEGE
060.32
LIBRARY
D423
Alma, California

MECHLINIAE
EXCUDEBANT L. & A. GODENNE
—
1891

6346

Approbationes

Ego Leopoldus Delvaux, Praepositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Antonio Anderledy, ejusdem Societatis Praeposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus *Commentarii in Exercitia Spiritualia S. P. N. Ignatii, concionatoribus etiam accommodati, a P. Antonio Denis S. J.* conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 22 Martii 1891.

L. Delvaux.

Dioecesis Tornacensis (1)

Die 25 Martii 1891.

Imprimi potest.

† Isid.-Jos., Episc. Torn.

---

(1) Coepit hoc opus typis mandari in dioecesi Tornacensi.

PRAEFATIO

Viam, quam cum tanto Societatis nostrae emolumento, felicis memoriae A. R. P. Roothaan, vertendo ad litteram ex originali hispanico et notis illustrando S. P. N. Ignatii Exercitia Spiritualia, quinquaginta abhinc annis aperuit, Christo Jesu Duci nostro amantissimo confidentes, bono animo ingredimur.

Quid enim spiritualibus nostris Exercitiis nobis pretiosius? Iis nimirum, veluti nativo et firmo fundamento, Instituti nostri Constitutiones innituntur, vel potius ex iis tanquam e radice, enascuntur; imo et ex manifesto divinae Providentiae consilio, tota vis nostra, sive in convertendis, sive in sanctificandis animabus, in iis sistere videtur; et ita quidem, ut qui ex Nostris ad diversas methodos, aliis forte proficuas, recurrunt, cum alienis non sibi accommodatis armis incedere se ipsimet sentiant.

Sed ut Exercitiis nostris cum omni quam continent virtute uti valeamus, necesse est ut illa intime et perfecte calleamus, ac familiaria ea nobis consuetudine faciamus. Ut ergo ma-

gis ac magis incomparabilis ille thesaurus noster, non sine detrimento ac ferme sine utilitate publicandus, apud nos innotescat et aestimetur, novos istos commentarios in Exercitia solis Nostris cum omni humilitate, reverentia et amore, aetate jam ad finem nobis vergente, dicamus et offerimus.

Cum autem hosce Commentarios, non solum, ut in ipso titulo Operis videre est, iis perpaucis qui integra tradunt Exercitia destinaverimus, sed et concionatoribus, in horum gratiam, fusius dilucidare et explanare Mysteria studuimus.

Utinam opus istud, in quo condendo nec tempori nec labori pepercimus, junioribus praesertim Societatis filiis aliquid fructus, ad majorem Dei gloriam et animarum salutem per divinam gratiam afferat!

AUCTOR.

Pars Prima

EXERCITIORUM SENSUS ET NEXUS

De Annotationibus

TITULUS (1)

Annotationes ad capiendam aliquam intelligentiam in Exercitiis spiritualibus, quae sequuntur, et ut earum subsidio adjuvet se tam is qui ea traditurus est, quam qui accepturus.

Adeo abfuit ut S. P. Ignatius librum proprie dictum scribere voluerit, ut nc generalem quidem sui operis initio titulum praefixerit. Tunc enim solum, cum brevi verbo intentum a se scopum praefinit, veluti in ipso contextu pro titulo ponit : *Exercitia spiritualia quibus homo se vincat, etc.*

(1) Quamvis versio vulgata Exercitiorum omni reverentia digna sit, tum quia ab Ecclesia approbata est, tum quia per duo saecula in Societate fuit usitata, tamen in his Commentariis litteralem A. R. P. Roothaan versio-

Annotationes, scilicet praevia et varia monita seu instructiones, magni sunt momenti ut rite ac fructuose fiant Exercitia. In iis enim non natura tantum Exercitiorum ac requisitae dispositiones declarantur, sed et totius ferme directionis ratio exponitur.

Non ait S. P. : *Ad capiendam intelligentiam Exercitiorum,* sed *aliquam* intelligentiam *in* Exercitiis. *Aliquam,* nam pars haec, quanticumque momenti sit, minima est illius intelligentiae quam ipsa dabunt Exercitia; annotationibus autem id procurabitur, ut exercitans tuto opus suum aggrediatur, et director discat quo et quomodo exercitantem prudenter ducere possit : non igitur ipsorum Exercitiorum intelligentia hic datur, sed lumen subministratur in via necessarium; unde vox *in* Exercitiis.

Ad *intelligentiam* ipsorum *Exercitiorum* quod

---

nem adhibebimus; idque pluribus ex causis, nimirum : 1° versio haec ab omnibus fere Nostris manibus tenetur et aestimatur; 2° nec inutiliter R. A. P. eam confecit ac sua nobis auctoritate porrexit, cum multos locos in versione vulgata parum claros ex autographo illustrarit ac dilucidarit; 3° versio litteralis nativam unctionem ac simplicitatem contextus S. P. N. multo perfectius refert; quamobrem omnium Nostrorum votis nos facturos satis existimavimus, si tam laudato Reverendi ac felicis memoriae P. Roothaan labore usi fuerimus.

attinet, nemo, quantaecumque ipse sit scientiae et ingenii, assecuturum eam se existimet, nisi illa Exercitia in se ipsemet fuerit expertus. Imo plerumque fit ut etiam theologiae doctores, ubi illa perlegerint, nihil in illis praeter jejunum libellum inveniant, cum sit hic tamen inaestimabilis Societatis Jesu thesaurus, et fons ditissimus totius ejus Instituti. Non enim grano sinapis absimilia sunt S. P. N. Exercitia, cujus et saporem et vim illi soli norunt ac degustant, qui illud dentibus premunt et mandunt : sed et multo magis ad aperiendum sensum conferunt lumen et unctio Spiritus Sancti, quæ non studentibus, sed exercitantibus communicantur. Incipienti enim animo magno Exercitia, exurgit illa quae desursum est supernaturalis intelligentia, quae aurorae similis continuo crescit usque in perfectam diem.

Ergo et suscipienti, et maxime tradenti Exercitia, annotationes praevia sunt et necessaria adjumenta. Tradens vero, omnes omnino calleat, ut eas quae sibi propriae sunt ob oculos semper habens, ad amussim observet ; exercitanti autem eas quæ ad illum pertinent, opportune tradat aut explicet.

Ut earum subsidio adjuvet se, quod non idem sonat ac si dixisset *adjuvetur;* nam Ignatius nec exercitantem, nec directorem passive se habere sinit, quasi sine proprio ac indefesso labore, externorum adjumentorum ope caelestes fructus sint accepturi. Utilissimae quidem annotationes sunt, sed ad *aliquam* tantum, non ad integram Exercitiorum intelligentiam; reliqua sibi comparet director propria indagatione et industria. Praeterea non sine diligenti studio et applicatione ad animam debite illius cui tradit Exercitia, cognoscendam instructor perveniet, ut ei cum prudentia et discretione, pro ejus ingenio et dispositione annotationes ceteraque adminicula subministret.

Quae R. A. P. Roothaan de hoc Exercitiorum titulo et de prima annotatione tam luculenter exaravit, non transcribimus; ad ea lectorem remittimus.

Prima annotatio naturam et scopum Exercitiorum definit, exercitantique accurate est exponenda. Oportet enim ut, antequam operi manum admoveat, bene intelligat quid agendum sibi, quibus mediis et ad quem finem. Quae igitur ab initio probe scire eum oportet, ea sola hoc loco enumerat S. P.; quae

autem hic necessaria nondum sunt, nec modo portari possent, reservat suis quaeque locis tractanda.

Hoc nomine Exercitiorum spiritualium intelligitur. — Non dedit suo libello titulum : *Meditationes,* aut *sacra recollectio,* aut *secessus sacer,* aut quemvis alium dari saepe solitum, quae nomina aut dispositionem praerequisitam aut notionem incompletam indicassent; sed *Exercitia,* quo verbo non tantum omnes spirituales Exercitationes ad animae sanctificationem facientes continentur, sed et ipsa operationum vis et natura definiuntur. Haec enim est subjecti pars, ut non se colligere tantum, aut doctrinam aliquam auribus et mente excipere, sed *active* se debeat exercere; neque sufficit aut ab alio aut desursum etiam *accipere;* sed propria *exercitatio* necessaria est, ut cum Apostolo gaudens in fine dicere merito possit : *Bonum certamen certavi,* et : *Gratia Dei sum id quod sum, sed gratia ejus in me* **vacua non fuit** (I Cor. XV, 10).

Ad rem melius illustrandam S. P. comparationem instituit. Etenim quemadmodum suas habet corpus exercitationes, ita et anima : corporales illae quidem sunt et aut mentem renovandam aut corpus ipsum roborandum ac

sanitatem servandam curant; istae vero, utpote substantiae spirituali accommodatae, spirituales sunt, finisque earum pariter spiritualis, animae nempe sanitas et sanctitas.

Nomine Exercitiorum spiritualium intelligitur quilibet modus examinandi conscientiam, meditandi, contemplandi, orandi vocaliter et mentaliter et aliarum operationum spiritualium. Quaeri hic potest quare S. P. inter praedictos modos spiritualem lectionem, quam magni faciebat, quam in secunda hebdomada ex Imitatione Christi et ex vitis Sanctorum commendabit, non nominet? Forte quia de proprie dictis animae exercitiis agit : jam vero in lectione paratus aliunde offertur animae cibus ; in exercitiis e contra ipsa sibi anima propria operatione parat, divina auxiliante gratia.

Quilibet modus examinandi conscientiam : duplex examen, particulare et generale proponetur. Etiam in ipsis meditationibus, verum aliquod examen fiet, ubi scilicet exercitans requiret a seipso quomodo et praecepta et doctrinam Christi antea observaverit.

De *meditatione* et *contemplatione* paulo fusius hic agendum. Haec enim apprime norint operarii Soc. Jesu necesse est.

Meditatio et contemplatio

Unum hoc est praenotandum, in nulla Exercitiorum parte de extraordinariis seu supernaturalibus modis orandi directe tractari a S. P. N., unde et in toto libelli decursu nil reperiri posse quod communi omnium orandi modo non conveniat. Nihilominus rerum peritis satis apparet ab eo et altissimas cum Deo communicationes insinuari, et certo ad illas viam aperiri. Noverat enim et sua et sociorum suorum experientia, non raro accidere, ut qui heroica et constanti generositate Exercitia decurrunt, eximia atque extraordinaria etiam dona a divina Bonitate percipiant. Quae dona, etsi non expresse in Regulis de disc. spir. circa *consolationes* significentur, nullo modo excludi censeri debent. Cum autem insignis illa generositas paucorum sit, cumque aliunde Deus pro divino suo beneplacito cuivis vel merenti vel immerenti favores suos libere largiatur, in his tantum quae ad viam ordinariam et communem spectant S. P. N. sistere videtur. Ceterum noverat vias extraordinarias facillime illusionum periculo exponi. Neque ulla tandem aderat ista ex

professo tractandi necessitas. Cum enim in iis non tam homo quam Deus agat, et se habeat homo potius ad instar patientis, satis erat regulas ponere quibus exercitans regeret sese, illusionesque praecaveret. Jam vero in Regulis de discretione spirituum circa haec, pro quocumque etiam altissimo orationis genere, abunde et luculenter providetur.

His positis ad quaestionem veniamus, in quo, juxta mentem S. P., differant inter se meditatio et contemplatio.

Si igitur de pura et stricte dicta *meditatione* sit sermo, haec in eo consistit ut veritatibus sive rationis sive fidei tres animae facultates, memoria, intellectus ac voluntas applicentur; ex quo exercitio lumina, affectus, persuasio et proposita oriuntur. Materiae igitur hujusmodi orationis sunt : peccatum, praecepta, quatuor novissima, sapientum sententiae, Christi et Sanctorum verba, variae virtutes, et similia.

Notandum vero accuratissime hic est, trium potentiarum applicationem non in sola ac proprie dicta meditatione, sed et in ipsa contemplatione, ubi saltem in via sistitur ordinaria, esse faciendam.

Contemplatio alia ordinaria est, alia extraordinaria. De priori sola in qua cum divina

gratia exercere se nemo est qui non possit, aperte et expresse tractat Ignatius. Ad posteriorem evehere solus Deus potest, totumque in hac re directoris officium in eo consistit, ut inquirat et detegat utrum exercitans moveatur a Deo, an daemonis, imaginationis et amoris proprii illusionibus sit obnoxius.

Ordinariae et extraordinariae contemplationis materia sunt facta seu Mysteria, quibus exercitans quasi praesentibus spectatorem se sistit, mente totam factorum seu mysteriorum seriem decurrens, considerationi personarum, verborum, actionum, animae facultates applicans, ut fructum spiritualem inde colligat; quem modum omnino ordinarium solum signat Ignatius; altiora non excludens, sed Deo relinquens.

Si vero, dum se homo in hoc orandi modo suarum facultatum usu exercet, sponte Deus et quasi ex improviso animam sibi devotam ingrediatur, ut Ipsemet jam in ea sensibiliter et supernaturaliter operetur, tunc incipit contemplatio altioris ordinis et extraordinaria. Quod orationis genus a Sancto Patre attingi ubi de consolationibus agit in regulis discretionis spirituum, quis non videat?

Ejusmodi contemplationis, non vero de visionum proprie dictarum, raptuum, etc., quae omnia hic omittimus et ad sublimiora dona pertinent, meminit ven. Pater Lud. de Ponte. Doctrinam tanti viri breviter resumamus.

Orandi modus extraordinarius multiplex est, et venit a Spiritu Sancto : *Effundam super domum David et super habitatores Jerusalem Spiritum gratiae et precum*. Quemadmodum enim in parte animae sensitiva quinque sensus exteriores habemus, quibus res sensibiles et delectabiles percipimus, ita, proportione quadam, in parte rationali illis similes interni actus sunt, quibus invisibilia Dei et delectabilia percipiuntur; unde cognitio quaedam experimentalis existit, quae tanto praestat notitiae ratiocinationibus comparatae, quanto degustatio mellis omnem antecellit de dulcedine mellis discursum.

Primus internus sensus in specie aliqua visionis consistit. Interno nempe aspectui Mysterium tam claro lumine objicitur, ut videatur sibi homo videre ipsam rem, quamvis visio illa fidem non tollat. Hinc gaudium quod exsuperat omnem sensum, hinc jubilus animae prae laetitia exilientis, ob

tam eximiam caritatem. Quoties hac visione seu fulguratione, non solum in specu manresana, sed et per reliquam vitam fruitus est S. Ignatius! Quoties et alii multi viri, Ignatii filii!

Secundus est internus auditus; quando videlicet Deus, interius se communicans, spiritualia verba profert, quibus vel docet intellectum vel voluntatem suam animae diserte intimat. Sic merito creditur S. Patri Nostro inspirata fuisse Exercitia spiritualia, nec ea tantum, sed et fundatae ab eo Societatis formulam et Institutum.

Tertius est internus olfactus : ubi interius anima quamdam rerum divinarum fragrantiam persentit, qua valde reficitur, confortatur et ad sanctitatis prosecutionem inflammatur, juxta illud : *Curremus in odorem unguentorum tuorum* (CANT. 1, 3). Sic saepius affectus est S. P. N., cum vestes sacerdotales induens, eo tempore quo de condenda Constitutione circa paupertatem ecclesiarum domuum professarum deliberabat, videbatur sibi videre Christum veste paupere indutum et abjectum. Hinc ex amore Jesu ardebat paupertatis et abjectionis amore.

Quartus sensus caelestium rerum gustu mi-

rifice afficitur. Hic multi sunt gradus pro mensura divini beneplaciti; sed in iis omnibus mundana omnia desipiunt, divina autem dulcia fiunt *super mel et favum*. Immo et in externos sensus redundat gaudium, juxta illud Psalmistae : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum* (Ps. 83, 3.) : et gustans jugi Christi Jesu suavitatem exclamat anima : *O Domine, quam magna est multitudo dulcedinis tuae, quam abscondisti timentibus te!* (Ps. 30, 20). Sic frequentissime vel potius assidue afficiebatur S. P. N. ad solam auditionem nominis Dei et nominis Jesu; neque ideo mirum est eum tam praeclare, cum de hoc genere consolationis tractaret initio tertiae regulae de discretione spirituum, disseruisse.

Quintus demum sensus in tactu spirituali consistit, quo Deus velut arcto complexu tenetur. *Tenui eum nec dimittam* (Cant. 13, 4); audet anima et dicit : *Osculetur me osculo oris sui* (Cant. 1, 1). Ex sua autem parte Deus, laeva capiti subjecta animam factam sibi sponsam caelestem ineffabiliter amplexatur. Quam divinam communicationem, non adumbravit tantum, sed et aperte exhibuit in medio decimae quintae annotationis et in fine ultimae S. Ignatius. Purissimum hunc et tenerrimum

amoris effectum ne percipere quidem valet carnalis homo. *Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei* (1 Cor. II, 14). Percipiebat admirabilis illa Virgo, Christi sponsa, cum properans ad martyrium exclamabat : *Amo Christum in cujus thalamum introibo, cujus mater virgo est, cujus Pater feminam nescit ... quem cum amavero, casta sum ; cum tetigero, munda sum ; cum accepero, virgo sum* (Div. Off.). Sic divinum adimpletur oraculum : *Qui adhaeret Deo, unus Spiritus est.*

Haec quae modo diximus, si exercitanti quidem exponenda non sunt, certe ei qui tradit Exercitia ignota esse non debent.

De proximo Exercitiorum scopo

Finis ultimus Exercitiorum est Dei gloria et salus animae. Proximus finis a S. P. N. intentus est « *praeparare et disponere animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas : et postquam quis eas sustulerit, quaerere et invenire voluntatem divinam in vitae suae dispositione, ad salutem animae.* »

Praeparare et disponere, etsi similia sunt, non sunt aequalia. Multa praeparare possunt quae

per se non directe disponunt, neque ad dispositionem sufficiunt. Sic animam *praeparant* secedere a domo, a notis, a negotiis, manere in solitudine, stare antequam genua flectam, et Deum praesentem mihi repraesentare, incipere exercitia sine mora, nec ea decurtare, lumine me privare et multa alia, quae sunt vera praeparatio ad dispositionem. Externa fere omnia illa sunt; *dispositio* autem est labor interior. Animam igitur jam paratam disponit internarum facultatum sive ad meditationem sive ad contemplationem, sive ad aliud orationis genus applicatio, juvante Spiritus Sancti gratia. Sic etiam, sed latiori sensu, dici potest meditatio de Fundamento esse praeparatio ad cognoscenda et detestanda peccata; sic et tota prima hebdomada dici debet necessaria praeparatio ut anima illuminetur in secunda, ac disponere se possit ad intime cognoscendum, amandum et imitandum Jesum; quae ipsa dispositio erit iterum praeparatio qua anima possit se disponere ad laborem electionis status rite suscipiendum. Verbo, exercitia omnia in decursu libelli praeparant ea quae sequuntur, ut in his exercitans disponere se ad ea valeat, quae ab ipso subinde praestanda erunt.

Ast quaenam illa sunt, ad quae praeparanda et disponenda anima est per Exercitia, seu quis scopus et finis proximus Exercitiorum? Duplex ille scopus est :

1. *Tollere a se omnes affectiones inordinatas.* Quid sit in genere inordinatum luculenter in notis suis explicuit R. A. P. Roothaan. Affectio enim inordinata illa semper est quae animam non ad Deum, finem suum ultimum, ducit, sed ad seipsam, vel ad finem non ordinatum ad finem ultimum. Ex hac inordinatione nascuntur peccata omnia.

At quare S. P. non loquitur de tollendis peccatis et peccaminosis affectionibus, sed de affectionibus simpliciter inordinatis? 1. Quia sublatis *omnibus* affectionibus inordinatis, a fortiori inordinatio peccaminosa, et multo magis peccata ipsa tollentur. 2. Quia, quamdiu habentur in anima affectus inordinati, etsi non in se peccaminosi, impossibile est ut anima tendat ad eam perfectionem, ad eam procedat electionem, quas Ignatius intendit. Hoc enim intendit, ut exercitantem, modo idoneus sit et vocatus, ad statum perfectionis perducat. Jam vero, ut eo perveniatur, non sufficit peccata et peccaminosas affectiones de medio tollere; sed requiritur praeterea ut omnis affectio

simpliciter inordinata eliminetur; quod sole clarius apparebit, ubi de electione, de duobus vexillis et de tribus binariis agemus. Haec certe valent pro iis qui integra peragunt Exercitia, pro iis scilicet a quibus magna expectari possunt. Ceteris partem tantum, majorem vel minorem, pro cujusque capacitate et conditione, attribuit S. P., ut videbimus in annotationibus decima octava et decima nona.

2° *Et, postquam quis eas sustulerit, quaerere et invenire voluntatem divinam in vitae suae dispositione, ad salutem animae.*

Postquam quis eas sustulerit conditionem indicat sine qua ulterius procedi non possit; nam qui fieri poterit, ut sincere quaerat quis et inveniat divinam voluntatem, statum forte perfectionis et actualem paupertatem, nisi antea omnem affectionem, non peccaminosam tantum, sed et innocentem ex se, at simpliciter non recte ordinatam sustulerit? Conditio autem illa quandonam obtinebitur? Tolletur certe in prima hebdomada, non peccatum solum, sed et omnis affectio peccaminosa; at rarissime eo jam tempore tolletur affectio non peccaminosa, sed inordinata tantum. Ad hoc enim multa requirentur secundae etiam hebdomadae exercitia; requirentur multae medi-

tationes circa Mysteria vitae Christi Domini; magnus requiretur in Jesum amor et ardens ejus imitationis desiderium. Ultimus tandem impulsus dabitur, et vires omnes in ipso electionis labore exerentur. Hoc evidens fit in nota quam S. P. meditationi trium classium subjicit.

Quod autem S. P. in suis Exercitiis intendat homines idoneos ad vitam religiosam disponere, id mirum nemini videri debet. Quod enim Magister fecit Christus Dominus, hoc facere digna cum laude potest et discipulus. Magna tamen discretione et prudentia hic opus fuit; nam si ante tempus haec intentio exercitanti ad talia nec parato nec disposito aperiretur, secreta in eo diffidentia, imo et resistentia oriretur; unde procul dubio tota vis Exercitiorum evanesceret. Quapropter S. Ignatius de *divina* tantum *voluntate* loquitur, quae omnia complectitur, et nihil excludit. Ceterum nihil vult praeter hanc sanctissimam voluntatem, hoc unum per Exercitia intendens ut eos quos divina Bonitas eligere et invitare ad statum perfectionis dignabitur, ad tantam gratiam suscipiendam adjuvet ac disponat. Iis vero quos Deus ad tantum fastigium non invitat, divina voluntas in hoc consistet, ut vitam re-

forment, ac in suo se statu sanctificent. Atque eam S. Ignatii mentem fuisse patet luculentissime ex annot. decima quarta et decima quinta.

Quaerere et invenire voluntatem Dei, hic est scopus; *postquam quis eas sustulerit...* est conditio, omnem scilicet omnino affectionem inordinatam e medio tollere. Quis enim sincere id quaerat, quod forte aversatur et fugit? Quis paupertatem voluntariam quaerat, si inordinatum affectum foveat ad divitias? Quis obedientiam, si ad independentiam afficiatur? Ideo S. P. N. in ipso Exercitiorum principio non utile tantum esse, sed et necessarium ad finem hominis prosequendum affirmat, ut quisque se faciat indifferentem, depositaque omni propria voluntate, solam Dei voluntatem prosequatur.

Quaerere et invenire : nostrum est *quaerere,* Dei autem dono dabitur *invenire.* At certe quaerenti dabitur invenire, juxta illud : *Quaerite et invenietis.*

In vitae suae dispositione; hic iterum nil ponitur quod non omnibus conveniat, nec ipsum nomen *vocationis* apparet, ne putet exercitans allici se ad statum quem forte adhuc nec vult nec desiderat. Eadem de causa non dicit S. P. : *ad Dei gloriam,* sed simpliciter :

ad salutem animae, quae salus ab omnibus est procuranda.

Secunda annotatio explicat quomodo materia meditationis, seu contemplationis sit exercitanti tradenda.

Ille qui tradit alteri modum et ordinem ad meditandum seu contemplandum, debet, etc. Non agitur hic de ratione seu de methodo meditandi; haec enim methodus vel lectione libelli alicujus de hac materia tractantis, vel per privata colloquia doceri poterit; de modo tantum proponendi materiam et puncta meditationis hora sequenti faciendae agitur. Ad ordinem spectat partitio meditationis in puncta, et eorum punctorum dispositio, quae in Exercitiis successioni historicae non semper respondet. Sic, propter intentum scopum in contemplatione de Mysteriis factis in cruce ordo alius est ab historico. Item ad ordinem refertur quod praeviae additiones serventur, dein fiant oratio praeparatoria, praeambula, meditatio, colloquia, examen. Ad *modum* autem quod attinet, doceatur exercitans quomodo juxta S. P. N., brevissime cogitet ante Exercitium *quo vadat* et *ad quid,* quid stans dicat et consideret, quem situm teneat, quid in oratione praeparatoria petat, quid in praeambulis

agat et in colloquiis, quomodo in meditatione ipsa facultatibus suis juvet se consideratione personarum, verborum, actuum, etc. Tandem ad *modum* pertinet *fideliter,* id est sine imaginationis inventionibus, et cum simplicitate quae sermoni Dei in Evangeliis propria est, *narrare historiam talis contemplationis (aut materiam meditationis), discurrendo solum per puncta cum brevi seu summaria declaratione*. Vult igitur S. P. non solam enarrationem fieri historiae, quae nimium jejuna esset, sed addi etiam *discursum per puncta;* ita videlicet puncta explicentur quantum pro capacitate subjecti necesse est, ut meditari aut contemplari valeat exercitans; at discursus ille talis sit ut *brevem* tantum et *summariam declarationem* contineat. Hujus brevitatis et sobrietatis S. Ignatius specimen in toto Exercitiorum decursu praebet continuum, ut, tradita methodo et demonstrata via, viator viam propriis pedibus faciat. Ars autem tradentis Exercitia in hoc sita est, ut puncta ita pro ingenio et doctrina exercitantis declaret, ut is per se ipsum quae necessaria aut utilia sibi sint inveniat; secus enim Exercitia a tradente, non ab accipiente, fierent, quod esset e diametro menti Sancti Ignatii oppositum.

Quomodo autem inveniet aut deteget in meditatione quae sibi prosint exercitans? Duplici modo : primo quidem per propriam ratiocinationem et laborem; dein, et hoc multo excellentius, per supernaturalem Spiritus Sancti illustrationem et concursum : *sive,* ait S. P., *id accidat per propriam ratiocinationem, sive in quantum intellectus divina virtute illustretur.*

Cur autem infinities melius sit ut exercitans eo modo rem inveniat, quam si ea a directore tradatur, luculenter aperit S. Fundator. Quod enim ille ita invenerit *majoris erit gustus ac fructus spiritualis, quam si ille qui tradit Exercitia multum declarasset sensum historiae.* Quae enim propria ratiocinatione inventa fuerit, delectabilior multo erit ac fructuosior veritas. Sic philosopho multo magis placet reperta ab ipsomet demonstratio quam decem aliae circa rem eamdem in libris doctorum propositae. Si autem divinae virtutis illustratione doceatur exercitans, supra omnem sensum de audita interius Dei ipsius voce gaudebit, et a Spiritu Sancto inflammatus ad perfectissima contendet.

Ita Thomas Kempensis : *Moyses et Prophetae possunt verba sonare, sed spiritum non*

conferunt. Litteras tradunt, tu sensum aperis... viam ostendunt, sed tu confortas ad ambulandum. Illi tantum foris agunt, tu corda instruis et illuminas.

Ex his intelligimus quantam partem S. Ignatius, vir ille tam peritus rerum spiritualium, Sancto Spiritui attribuat, et quomodo, etsi de re non loquatur ex professo, supernaturalibus etiam favoribus aditum non solum non claudat, sed et aperiat.

Si quis tandem objiciat exercitantem multa sive ad intellectum sive ad voluntatem pertinentia non inventurum per seipsum, quae ex fusiore declaratione fructuose perspexisset, respondebitur Exercitiorum scopum non esse facere doctos, sed bonos et sanctos. Jam vero, ait S. P., *non abundantia satiat animam eique satisfacit, sed sentire et gustare res interne.* Quot enim Sancti unica sententia per lumen S. Spiritus intime perspecta, ad altissimam sanctitatem pervenerunt! Audi S. Aloysium : *Quid hoc ad aeternitatem?* S. Stanislaum : *Ad majora natus sum;* S. Ignatium : *Ad majorem Dei gloriam;* S. Teresiam : *aut pati aut mori;* S. Joannem a Cruce : *Pati et contemni pro te;* S. Franc. Ass. : *Deus meus et omnia.*

Tertia annotatio reverentiam in communi-

catione cum Deo commendat. Hunc cultum externum tanti faciebat Ignatius, ut eum revelationibus et omni consolationum generi anteponeret; divino enim afflatu hoc didicerat, et lumen illud pluris quam donum lacrymarum ceteraque omnia supernaturalium gratiarum charismata ipsi ante a divina Bonitate concessa faciebat. Ideoque orationem hanc frequenter usurpabat : *Domine, da mihi humilitatem et reverentiam ex amore.* Reverentiam enim parit humilitas; humilitas autem duplici ex fonte procedit, ex cognitione videlicet tum infinitae Dei magnitudinis ac perfectionis, tum nihili nostri et moralis miseriae nostrae. Reverentia igitur externa internae humilitatis manifestatio est, tantumque Deo placet, quantum ipsa humilitas.

Jam vero humili homini se inclinat Deus, et *humilibus dat gratiam.* Unde enim saepissime fit, ut meditatio non succedat, nisi ex eo quod eam nec praecesserit nec comitetur intimus ille humilitatis sensus, et externae reverentiae obsequium?

Non igitur sine causa S. P. istam reverentiam in additionibus tantopere commendavit, cujus et ipse tam praeclarum exemplum dedit in suis Exercitiis, in quibus Deum nunquam

nominat nisi cum summa reverentia : *petere gratiam a Deo Domino nostro.*

Quae in hunc sensum, occasione hujus annotationis, R. P. Roothaan, praesertim quoad recitationem divini officii, eximie adnexuit, accurate consideranda sunt. Quid si cum ea humilitate et reverentia sanctissimae divini Sacrificii orationes a celebrante pronuntientur?

Quarta annotatio soli directori destinatur. Dividit Exercitia, ubi integra traduntur, in quatuor partes, quas propter earum moralem durationem, vocat hebdomadas. Hic et prudentia et latitudo judicii S. P. Ignatii elucent; non enim definit numerum dierum singulis hebdomadis assignandorum, quod judicio directoris relinquit, qui pro dispositione subjecti tempus singularum hebdomadarum vel minuet vel augebit. Qua ex re jam patet quantas directori partes attribuat S. Fundator, et consequenter quam in eo capacitatem et experientiam supponat.

Quinta annotatio, sollicite exercitanti inculcanda, tanti est momenti, ut vixnon ea dici queat ex qua totus pendeat Exercitiorum fructus; quod satis innuit S. P., vir adeo superlativis infensus, cum ait : *Valde prodest.*

Intrare in illa (Exercitia) *animo magno et cum liberalitate erga Creatorem ac Dominum suum.*

Intrare in illa : ex his verbis patet Sanctum Patrem de ea dispositione agere quam exercitans ad inchoanda afferat Exercitia. Neque sequitur eam dispositionem minoris fore momenti in ipsorum Exercitiorum decursu. Multum abest; immo et praestantior illa esse debebit; nam et multae tunc atque improvisae difficultates occurrent; et multa magnaque expostulabuntur ab exercitante; rem demum inchoare non adeo difficile est, ad finem vero cum firmitate et constantia perducere, valde arduum est. Hic igitur de praevia tantum dispositione agere voluit.

Ac re quidem vera apprime noverat S. P. eum qui cum praedicta alacritate arripit Exercitia, novos ipsorum Exercitiorum virtute spiritus accepturum, eique singulares etiam favores ex parte Illius qui non parum nostra magnanimitate delectatur, minime defuturos.

Magno animo, id est, laeto propter eximium Dei donum, ardenti desiderio, spe magna, sine ullo aut fatigationis timore, aut solitudinis ac laboris taedio. Ad hanc magnanimitatem multum conducet legere ante

Exercitia, epistolam R. P. Roothaan, testimonia dein quae in capite libelli ab eo posita sunt, et exempla eorum qui in hoc sacro secessu admirabilem sui transformationem et sanctitatem invenerunt, et adhucdum inveniunt. Conducet ante omnia oratio fervens et assidua. *Nam omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (Jac. 1, 17). *Petite et accipietis. — Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (Matt. 5, 6).

Et cum liberalitate erga Creatorem ac Dominum suum. Aurea sunt haec verba, et intime scrutanda. Latent enim hic, velut in germine fecundissimo, non communes, sed insignes illi ac tam celebres Exercitiorum fructus.

Differt a *magno animo* ea de qua hic agitur *liberalitas*. Haec enim magnanimitatem praesupponit, sed, modo eam eodem sensu, quo Ignatius intelligit, accipiamus, illi insigniter supercrescit, et ad summos vitae spiritualis apices viam sternit, ad quos sola magnanimitas nunquam pertinget.

Magnanimitas enim, ubi sola est, solam saepissime parit admirationem et celebritatem; ubi vero magnanimitati accedit liberalitas, parit sanctitatem. Qui, ut plerique insignes bellatorum duces, quaerit quae sua

sunt, admirabilem exhibere poterit magnanimitatem; at liberalitas *erga Creatorem ac Dominum* sui ipsius et proprii emolumenti abnegationem essentialiter supponit, et alterius, non suum, bonum intendit, eique se generose devovet.

Non igitur intendat exercitans propriam pacem, non divina solatia, non ipsorum supernaturalium charismatum dona, sed *unam,* eamque *majorem Dei gloriam,* non de proprio bono, sed de bono Dei sollicitus.

Liberalis igitur erga Creatorem suum ac Dominum ille erit, qui et auspicabitur et perficiet Exercitia, ut propriis expensis ac indefesso labore ad serviendum Deo quam perfectissime, totis viribus contendat; Domino quippe ille, non sibi, serviet. Necessitatem pro mensura adhibere erubesceret; ad plura semper danda aspirat. Atque hoc est amare Deum. Porro *amor*, ait Thom. Kemp., *non respicit ad dona, sed ad donantem se convertit super omnia bona. Amor modum sacpe nescit, sed super omnem modum fervescit.*

In secunda binariorum Classe, qui suam solam pacem ac salutem quaerunt, nullam exhibent liberalitatem; liberalitas in tertia est; est nempe in eo qui omne suum velle

et omnem suam libertatem Deo offert dicens : Sume, Domine, et suscipe... *Laetus obtuli Deo universa.* (1 Par. 29, 17).

Magnanimus in obsidione Pampelonensi et in morbi sui doloribus, magnanimus et quamdiu vixit semper fuit Ignatius; ast tunc tantum magnus, id est sanctus, fieri coepit, cum exuens se rebus omnibus ac seipso, ut uni gloriae Dei ad mortem usque viveret, exclamavit : *Ad majorem Dei gloriam.*

In hac abnegatione et devotione sui tota sita est arcana illa omnipotentia quae in Exercitiis Deum ipsum vincit, et exercitantem ad eminentissima divinae Bonitatis dona praeparat ac disponit. Nec disponit tantum devotio illa ad gratias suscipiendas, sed et constantiam in variis difficultatibus et probationibus egregie confirmat. Qui enim non sibi sed Deo unice servire intendit, nequaquam inter animae desolationes a fidelitate deficiet. Unde namque fit, ut tot animae, quae devotae appellantur, vix ac ne vix quidem in spirituali via proficiant, nisi ex eo quod sua quaerant, non quae Jesu Christi? Magno animo sunt, ubi consolatio adest, et passus quosdam facere videntur; at si desolationes, ariditates, tentationes, turbationes ingruant, animo ca-

dunt, et tantum retro eunt, quantum in consolatione erant progressae. Huic inconstantiae funestissimae occurret exercitans, si Dei gloriam et servitium, quae in adversitate maxime procurantur, non suum proprium bonum et commodum, intendat. Huc spectant sequentes annotationes, praesertim 13ª, et ex reg. de disc. spir. pro 1ª hebd., 5ª, 6ª et 7ª.

Ponit igitur S. Ignatius illam liberalitatem, quam inesse ab initio cupit exercitanti, in generali animi dispositione ad ea omnia praestanda quae per internam illuminationem velle se significabit Dominus.

Omne suum velle et libertatem suam illi offerendo, ut divina sua Majestas tam de se quam de omnibus quae habet disponat, juxta sanctissimam ejus voluntatem. Haec verba perfectissimam liberalitatem complectuntur, sed in genere tantum et in globo; in decursu autem Exercitiorum, in specie et in concreto ea liberalitas definietur, tum scilicet, cum exercitans per longum laborem et magna gratiarum incrementa portare poterit. Generalem illam liberalitatem solam ab incipiente exigit Ignatius : nam omnia continet, sed in radice tantum. Ubi sola radix adest, nondum folia, nec flores, nec fructus adsunt, sed suo tempore apparebunt; nam

arcanam ea producendi virtutem radix jam in se continet.

Duo illa : *magnus animus* et perfecta *liberalitas* in electione insigniter exercebuntur; plenum vero ac perfectum effectum in ultima tantum contemplatione de *amore spirituali* sortientur, cum divini amoris meditatione succensus exercitans se vicissim Deo totum ac omnia sua in flamma purissimae dilectionis offeret. *Sume, Domine, et suscipe.* Tunc solum cum Rege David dicere, re facta, poterit : Ego in simplicitate cordis mei, *laetus obtuli universa* (1 Paral. 29, 17).

Quaenam adhibet Ignatius ad excitandam liberalitatem incitamenta? Tria declarat aut innuit. Et 1° quidem, merito et ex essentia rerum liberalitas illa debetur Deo, quia *Creator est et Dominus*. 2° Sibi ipsi et honori suo eam debet homo. Quid enim homini honorificentius, quid naturae ejus consonum magis, quam et servire Deo et regi a Deo? 3° Tum solum homo, et praesenti et futurae felicitati suae consulet, cum suam divinae voluntati conformaverit. *Sanctissima* enim, beneplacens et perfecta voluntas Dei est, cui si se homo conformem fecerit, similis ipsi Deo evadet et ejus per sanctitatem erit

imago pulcherrima, donec Ipsi similis fiat in gloria.

Quam liberalitatem exercitando commendavit Ignatius, hanc suis filiis lege imposuit, et ejus in se praeclarum exemplum proposuit. Ait enim in reg. 19ª Summarii : *Et in universum loquendo, quanto aliquis se arctius Deo adstrinxerit, et liberaliorem erga summam Majestatem se praestiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur, et ipse in dies magis idoneus erit ad gratias et dona spiritualia uberiora recipienda.*

Id propria didicerat experientia. Quis unquam erga divinam Majestatem, et ab ipso conversionis suae principio, et inde usque ad manresana Exercitia, liberalior fuit? Unico die mundana omnia, divitias, honores, propinquorum amorem a se abjecit. Nulla re sibi servata, vilissimorum mendicorum vitam in se suscipiens, horrido sacco indutus vel potius deturpatus, sui et mundi contemptor, Manresam petiit, ut ignotus ibidem et omnis generis opprobriis saturatus ac sanguinolentis flagellationibus jejuniisque attritus, soli Deo per decem menses continuos in horrida specu vacaret. Ast quis etiam illustriora a Deo dona accepit? Novus Israel, luctabatur liberalitate

cum Deo Ignatius. Ast hic non sivit vinci se ab homine Dominus. Quo magis sui immemor fortis et heroïcus athleta per sui contemptum majorem Dei gloriam prosequebatur, eo magis Deus eum elevans ad se rapiebat ac divino lumine clarificabat. Quo magis Dei servus corpus suum flagellis lacerabat, et atterebat jejunio, eo magis illum dono lacrymarum, raptibus, visionibus et omni caelestium consolationum genere recreabat : ita ut luctans semper et semper victus exclamaret Ignatius : *Mi Deus, mi Deus, quomodo talem et tantum sustines peccatorem?*

Sexta annotatio et proxime sequentes eum docent qui tradit Exercitia, quomodo exercitantem pro varia ejus dispositione tractare debeat.

Bene dixit quidam : Qui bene coepit, dimidium facti habet. Hoc in Exercitiis spiritualibus verum etiam est. Ast quantacumque fuerit incipientis Exercitia generositas, multa super eum in decursu tempora mutabuntur. Modo enim a malo, modo a bono spiritu movebitur; modo etiam nullam, sive in bonam sive in malam partem, motionem sentiet. Diversimode igitur erit a directore pro praesenti dispositione tractandus. Quando alte-

rutra motio habetur, directorem Ignatius ad regulas discr. spir. pro prima et secunda hebdomada remittit.

Ubi vero nulla motio advertitur, modus agendi hic praescribitur. Cum sua et aliorum experientia probe nosset S. P. eam esse Exercitiis insitam vim, ut vix ac ne vix quidem rite ac generose peragi possint, quin moveant, vult exercitantem diligenter interrogari num rite suas partes obeat. MULTUM *debet eum interrogare circa Exercitia,* v. g. : 1. An omnia, et praestituto tempore, faciat Exercitia? 2. Quomodo ea singula peragat, scilicet an vera cum humilitate et reverentia, cum diligenti facultatum suarum applicatione, cum vero divinae illustrationis desiderio? an contra cum segnitie et pigritia ac quasi se passive habendo? 3. An omnes omnino additiones, quae post primam hebdomadam in libello describuntur, observet, *sciscitando,* ait, *de singulis singillatim,* ita ut nulla sine interrogatione praetermittatur. Quod si id fideliter director fecerit, vix non semper intelliget, cur nullae motiones existant; corrigenda autem indicabit.

Septima annotatio, sicut et tres sequentes, docet quid directori sit agendum, cum motionibus mali spiritus agitatur exercitans. De

sola desolatione hic loquitur S. P.; nam pro tempore consolationis, regulae de disc. spir. abunde sufficient, cum praesertim multo minus sit in consolatione periculum. Nubilo igitur tempore, quam maxime curet is qui tradit Exercitia, ne, ut ait S. Scriptura, afflicto afflictionem addat.

Quantum juvant in via spiritus animae gaudium et fiducia, tantum nocent dejectio, pusillanimitas et desperatio. Jam vero nil ad funestam hanc animi depressionem et prostrationem ex se magis inclinat, quam ea de qua in reg. disc. spir., spiritualis desolatio; nec tamen ulla forte in hac vita existit tentatio communior aeque ac periculosior. Unde, ars artium, in directione spirituali in hoc potissimum consistit, ut, non piorum tantum, sed et peccatorum ipsorum animi spe ac fiducia dilatentur et erigantur.

Nil igitur non faciat director, non solum ne exercitanti desolatio noceat, sed ut etiam in lucrum vertatur. Ad id autem multum conducet, si cum fiduciae sensu, cum placido ac sereno vultu ad hominem animo dejectum accedat, ita ut conspectus ejus soli atra tempestatis nubila discutienti similis affulgeat. Atque etiam extra Exercitia ita se semper

habeat, ubi desolatione, et maxime tentationibus animae pulsantur, ne eas in periculosissimam dejectionem ac desperationem praecipitet. Vide reg. 12^m^ de disc. spir. Caveat praeterea quam maxime ne in suis decisionibus titubans, aut impatiens, aut morosus, aut inquietus videatur, sed firmus ac serenus. Qua de re audi S. P. N. verba e paterno suo atque amantissimo corde, quasi ex benignissimo Corde Jesu manantia : *Non exhibeat se illi durum, neque asperum, sed blandum ac suavem, addendo ei animum ac vires in posterum*. Nonne videris tibi audire Christum ipsum afflictos omnes amanter invitantem : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos?* (MATT. XI, 28.) Cum autem non sufficiat lenire cor, sed et, sive ad convictionem procurandam, sive ad instruendum in via spiritus, requiratur etiam ut illuminetur intellectus, addit Ignatius : et *detegendo illi astutias inimici humanae naturae*.

Tria igitur sunt, juxta S. P., quibus dejectio animi tolli potest : 1° Benignitate et serenitate afflicti exercitantis cor erigatur ac dilatetur; sic enim ei *vires* addentur ad ferendam ac superandam desolationem. Non parum etiam ad hoc conducet, si ei tot Sanctorum,

et in primis sancti ipsius Ignatii internas tribulationes director proponat et enarret.

2° *Detegat illi astutias inimici naturae humanae,* qui ex odio nostri, et multo etiam magis ex odio Dei, omni ope et malitia homines non in peccata tantum, sed et in perplexitates omnis generis ac tristitias inducere conatur, quo nimirum facilius in turbido piscari possit : atque hoc pacto hominem suum director contra diabolum obfirmet, qui latrare quidem potest, mordere nequaquam, nisi volentes et accedentes. Hoc quoque ipsius Dei verbo eum consoletur : *Certamen forte dedit illi ut vinceret* (Sap. 10, 12.); et : *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum* (1 Cor. 10, 13). — Ipsi tandem persuadeat, ut diabolo *fortiter in fide resistat. Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet a vobis* (Jac. 4. 7).

3° Efficiat ut non solum consolationem speret et expectet, sed multo magis, ut se *praeparet ac disponat ad futuram consolationem.* Haec igitur iterum conditio est ut redeat consolatio : personalis scilicet labor : *praeparet se ac disponat.* Quaenam autem erit haec praeparatio ac dispositio? Juxta reg. 6. 7. et 8 de disc. spir., omnem a se teporem ac segnitiem

abjiciat; et, memor se suscepisse Exercitia, ut Deo, non sibi serviret, fidelem se ac tenacem, non minus, immo magis quam tempore consolationis, exhibeat. Sic enim, nedum ex desolatione ullum detrimentum accipiat, magis in ea quam in ipsa consolatione proficiet. Ita evenisse S. Ignatio novimus, qui cum Manresae ageret et incredibilibus daemonum molestiis perturbaretur, plenam de hoste victoriam et admirabilia gratiarum dona per indefessam fidelitatem et heroicam constantiam est consecutus.

Quae in hac annotatione dicta sunt, iis pariter, etiam extra Exercitia, a directore animarum erunt applicanda qui de divino servitio solliciti, scrupulis intricantur et excruciantur. Errant namque funestissime, et nescire se quantum sit scrupulosorum martyrium perhibent, qui existimant eos quos morbus ille exedit, aspere esse tractandos et sine ulla miseratione cogendos ad obediendum. Quid aliud ita obtinent, nisi quod, et se patientiae, misericordiae et charitatis expertes comprobent, et paenitentem forte cum periculo desperationis aut amentiae magis ac magis perturbent atque obtenebrent. Talibus e contra serenam faciem, quae nubes tristitiae dissi-

pet, confessarius exhibeat : sit, ut ait Ignatius, *blandus* et *suavis; fortiter* quidem in applicandis principiis procedat, sed et *suaviter* in modo, ut scrupulosus et intelligendi principia et exercendi judicii capax evadat; sitque, ut diximus, in responsis suis ac solutionibus firmus et constans. Vae scrupuloso, qui haesitantem habet confessarium!

Octava annotatio circa usum regularum de disc. spir. versatur, et ad eas, non exercitantem, sed ejus directorem remittit. Directoris enim est ex regulis disc. spir. eas exercitanti proponere, explicare et applicare quae ipsi pro actuali *necessitate* conveniant. Mens igitur Ignatii non est ut continuo atque eo ordine quo conscriptae sunt regulae illae tradantur vel potius explicentur, sed ut modo haec, modo illa adhibeatur, *juxta necessitatem quam senserit esse in eo qui accipit Exercitia,* sive is suam necessitatem ipse aperiat, sive eam director per seipsum sentiat. Ut plurimum regulae pro prima hebdomada in prima hebdomada sufficient; dico *ut plurimum,* nam interdum et in hac regulae ipsae secundae hebdomadae applicandae erunt, v. g. cum exercitans plurimum jam in cognitione et praxi vitae spiritualis est versatus. Hoc sat

clare S. P. ipse innuit, cum in titulo regularum 2^ae^ hebdomadae ait, non simpliciter *conveniunt,* sed *conveniunt* MAGIS *pro secunda hebdomada.*

Ex his patet praecipuum hujus annotationis momentum in illis verbis stare : *juxta necessitatem quam senserit in eo qui exercetur;* quod supponit iterum, non pluribus simul, sed uni tantum tradi magna Exercitia. In illa autem detegenda necessitate ars maxima directoris consistit; nam exinde pro varietate et dispositione subjectorum, eliget et ordinabit quae in Exercitiis continentur; quo fiet ut, quamvis methodus S. P. fidelissime teneatur, tot modi sint futuri tradendi Exercitia, quot exercitantes. De essentia enim Exercitiorum varietas illa est.

Hinc iterum apparet integra Exercitia non qualibuscumque de turba, sed iis destinari, qui ad magna et plerumque ad vitam religiosam atque apostolicam idonei sint; ceteris vero non tantam molem S. P. imposuit, sed partem minorem vel majorem, quae ipsis ad christiane vivendum sufficiat, reservavit.

Hinc etiam iterum intelligitur, et in sequentibus intelligetur magis, quanti ex mente S. P. N. momenti sit directoris officium.

Nona annotatio de iis agit, quibus in prima hebdomada versantibus regulae de disc. spir. pro 2ª hebd. tradi non possunt. De sequentibus hebdomadibus in hac annotatione non agitur. In his quid agendum, considerata capacitate vel dispositione personae, director judicet.

Igitur tradi prohibet Ignatius secundas de disc. spir. regulas in prima hebdomada, in duplici casu :

1° Si ille qui suscipit Exercitia *non fuerit,* antequam ea susciperet, *in rebus spiritualibus jam versatus*. Essent enim tunc tales regulae inutiles, nec inutiles tantum, sed et *nocivae :* inutiles quidem, quia supra captum; *nocivae* vero, quia vel non intellectae taedium afferrent, vel male intellectae in periculosos errores inducèrent. *Materia*, ait S. P., *subtilior est et sublimior quam ut ille possit intelligere.*

Attendendum hic ad verba S. P. Non ait simpliciter : si persona non fuerit capax quoad ingenium aut scientiam, sed : *Si* IN REBUS SPIRITUALIBUS *non fuerit versata*. Distinguit enim sapientissime naturalem et humanam capacitatem a capacitate illa quae spiritualis est, et circa divina supernaturaliter versatur. Sic nimirum fieri poterit, ut vir aliunde doc-

tissimus et acuto praeditus ingenio non sit in via spirituali nisi rudis, et scientiae motionum internarum penitus extraneus; dum e contra bona, pia et simplex vetula, quae nec scribere didicit, nec legere, egregie in rebus spiritualibus edocta reperiatur.

2° Si ille qui accipit Exercitia, ceteroqui rerum spiritualium capax satis, *tentetur crasse et aperte.*

Aperte, ita ut tentatio non stet, juxta S. Gregorii doctrinam, in externa suggestione aut etiam in sensu, sed ad consensum inducat, et ei proxima sit; unde magna animi dejectio et taedium. Cum aliunde tentatio illa *crassa* sit, ideoque gravis et non sine culpabilitate, nullo modo hic subtiles illae et sublimes 2ae hebd. regulae conveniunt; regulae autem primae pro simili praecise statu confectae omnino sufficiunt.

Cujus autem generis supponitur hic a S. P. tentatio? Certe de tentationibus quibuscumque ut de tentationibus carnis, superbiae, odii, etc., quae graves quidem et molestae, non essentialiter tamen in via spiritus retardant, quaestio non est; sed de iis tantum quae progressum in Exercitiis vere impediant. Ceterae tentationes in viris sanctissimis et

ferventissimis non raro inveniuntur, Deo optimo saepe permittente, ut ita tentatus crescat homo puritate, humilitate, spiritu orationis, atque ita magis in bono firmetur. Tales enim perturbationes inter *desolationes* S. P. recenset : de iis autem fuse tractat in reg. disc. tum 1ae, tum 2ae hebd., in quibus exercitantem, non intentatum, sed intense de bono in melius procedentem supponit.

Tentatio autem illa *crassa et aperta,* nisi oratione et pertinaci ad exercitationes applicatione vincatur, ipsa Exercitia penitus impediet ac pessumdabit. Ei proinde qui tali tentationi subjacet regulae disc. secundae hebdomadae nullatenus conveniunt, quae ferventem et alacrem hominem supponunt. Quem enim ex tam subtilibus ac sublimibus documentis colliget fructum, qui *ostendit impedimenta progrediendi ulterius in servitio Dei Domini Nostri, qui laborem Exercitiorum taedio ac fastidio habet, quem pudet pium erga Deum videri, qui mundanorum hominum dicteria et scommata pertimescit?*

Decima annotatio. De tentatione ad malum modo actum est; hic autem de tentatione *sub specie boni* agitur.

Inimicus humanae naturae diligenter quae

sit dispositio exercitantis inquirit, ut qua parte patet ostium subdole se immittat. Ac si quidem hominem tristem invenit, eum ad impatientiam, aut ad dejectionem, aut ad sensuales consolationes impellit; si vero laetum, ad distractionem aut ad vanitatem inclinat; si scrupulosum, per inextricabiles astutias totis viribus in desperationem adigit. Ubi autem exercitantem videt in divino servitio ardentem, generosum, caelesti consolatione recreatum et, ut ait Ignatius, de bono in melius intense procedentem, non contradicit, quod esset tunc inutile, sed *transfigurans se in angelum lucis,* tentat sub specie boni; flammis flammas addit, non ut eatur de bono in melius, sed ut ultra metam discurratur, et per excessum de bono primum ad minus bonum, dein de minori bono ad malum deveniatur. Nec ei fraus male semper succedit. Quot enim miseri exstitere, qui vel imprudenti fervore abrepti nimiis poenitentiis vires vocationi suae necessarias amisere, vel austerioris vitae male cupidi, alium religiosum Ordinem petiere, et tandem Ordine omni abjecto, in saecularem vitam sunt relapsi!

Cum vero de hac motione sub specie boni agatur in reg. disc. pro 2ª hebd., ad eas direc-

torem remittit S. Fundator; hoc solum prudenter notat, quod diabolus *non tantopere tentat sub specie boni in via purgativa, quae in prima hebdomada decurritur. Non tantopere;* ergo quandoque et in prima jam sic tentat eos maxime qui jam spirituales sunt, quemadmodum in secunda etiam hebdomada crasse aliquando invitat ad malum. Omnes igitur regulas director ad manum semper habeat, ut singulas singulis casibus pro necessitate opportune applicare valeat.

Undecima annotatio intimam habet cum sexta connexionem. Utriusque videlicet finis idem est, eadem etiam in universa Exercitia extensio.

Ei qui accipit Exercitia prodest, ut nihil sciat eorum, quae facturus est in secunda hebdomada. Antequam apertas hujus consilii, quod pro serie ceterarum etiam hebdomadarum valet, rationes afferamus, solvenda quaestio primum occurrit, in qua tacita quidem, sed verissima Sancti Patris mens apparebit.

Cur nempe Ignatius, ubi illam discretionem commendat, de prima solum hebdomada loquitur? Quia tales sunt operationes in secunda hebdomada faciendae, ut si, antequam per exercitia primae, immo et, quoad magnam par-

tem, secundae hebdomadae, mutatus et quasi transformatus fuisset exercitans, eas praesciret aut etiam suspicaretur, probabiliter necdum paratus resisteret, et insigniorem Exercitiorum fructum amitteret. Quid enim si in prima jam hebdomada ei, qui nondum didicit Jesum, immo qui forte neque cor neque mentis oculos mundavit, ea quae ad tres modos humilitatis, ad tres binarios et maxime ad electionem pertinent legerentur aut proponerentur? Eamdem ob causam dicebat Christus Apostolis : *Non potestis portare modo* (Io. 16, 12), et Petro : *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea* (Io. 13, 7). His praemissis, ad apertas hujus annotationis rationes jam veniamus. Eas S. P. his verbis concludit : *ut ita laboret in prima ad id obtinendum quod quaerit, ac si in secunda nihil boni se reperturum speraret.*

S. P. hic, sicut in praeambulis et in examine particulari videre est, supponit ut conditionem sine qua Exercitia fine suo frustrarentur, exercitantem sincere *quaerere* ac *summopere velle et desiderare*. Quomodo enim ardenter laboraret, et magno, ut ait, nisu, conaretur, qui fructum laboris sui non magni faceret? Posito igitur illo desiderio, exercitantem S. P. ad

laborem invitat; cumque fieri per humanam fragilitatem possit, ut qui accipit Exercitia confidens sequentium Exercitationum virtuti, nonnihil de suo fervore remittat, vult S. P. ut *ita laboret etc.;* nec ullum omnino transeat exercitium, quin fructum illi proprium plene ac perfecte colligat. Ad hoc autem impiger requiritur labor et constans; requiritur perfecta animae potentiarum applicatio; requiritur tandem unitas illa ad sensum profundius excitandum tam necessaria, qua mens in uno tantum versetur, nec ad alia quam ad praesentia se convertat. Vide sextam ex Additionibus.

Jam vero unitas illa, quae praecipuam Exercitiorum vim constituit, nequit existere, si ad plura simul anima se extendat. *Age quod agis. — Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

Magni igitur momenti est, ut in prima hebdomada exercitans non solum non occupetur in iis quae secundae sunt, sed nec ea ullo modo praesagiat; immo ita laboret ac *si nihil boni in 2ª hebdomada se reperturum speraret.* Secus enim, 1. curiositas a praesenti labore mentem distrahet. 2. Sequentium exercitiorum novitate, quae ad effectum conducit, deflorata, futurae materiae obiter delibatae

vim suam magna ex parte amittent. Tales enim sunt Ignatiani libelli exercitationes, ut iis insitam, et quasi intime absconditam vim nemo nisi per plurimum laborem percipere valeat. 3. Si in prima praesertim hebdomada materiae secundae menti jam obversarentur, tolleretur eo ipso fructus primae hebdomadae proprius, id est, spiritus timoris, doloris et compunctionis.

Duodecima annotatio commendat ut singulis exercitiis, meditationibus scilicet et contemplationibus, hora integra semper impendatur. Qui non est in rebus spiritualibus versatus, mirabitur forte S. Ignatium directori imponere, ut exercitantem, non simpliciter, sed *multum (s. impense, instanter)* moneat, ut plene et integre in exercitiis horam expleat. Nonne sufficit ut hora moraliter impleatur? Parum enim pro nihilo reputatur. At nequaquam ita sentit rerum spiritualium tam peritus S. Fundator. Propria enim experientia et docente intus Spiritu Sancto didicerat res etiam minimas in divino servitio magni esse faciendas. Aliquot unius horae momenta, si duratio spectetur in se, exigua res sunt; ast in oculis Dei et in ordine ad finem in Exercitiis obtinendum, non ita. Ideo-

que, juxta S. P., excedatur potius quam decurtetur hora. Atque sola tanti ac tam sancti Doctoris affirmatio et auctoritas rationi sufficere quidem deberet; at rationes plurimae, eaeque gravissimae, idem suadent, quarum in primis unam Sanctus ipse enuntiat, scilicet : *Ita procuret semper* exercitans, *ut animus contentus maneat, recogitando (scil. eo quod conscius sibi sit) perdurasse se horam integram in illo exercitio, et immo plus temporis impendisse quam minus*. Bona illa conscientia, quam perfecta parit obedientia, fiduciam alit, vires corroborat, pacem confert et dilatationem cordis operatur. Alteram non minoris momenti rationem subjicit S. P., judicium videlicet et insidias inimici ipsius naturae humanae, qui opinatur et ipse in rebus spiritualibus parva non esse pro nihilo reputanda. *Nam*, ait Ignatius, *inimicus (daemon)* NON PARUM SOLET *procurare, ut hora contemplationis ejusmodi, meditationis vel orationis decurtari faciat*. Addendo : *orationis,* alludit ad modos orandi et ad applicationes sensuum.

Quid autem hoc artificio diabolus intendit? Primo quidem, ut animus contentus non maneat, prout supra diximus; secundo, ut, sublata illa fidelitate ac generositate, eximiarum virtutum actus impediat, scilicet 1°, perfectae obe-

dientiae, quae in cura minimorum maxime elucet. *Euge, serve bone, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam* (MATT. 25, 23). *Particula boni doni non te praetereat* (ECCLI 14, 14). *Iota unum, aut unus* APEX *non praeteribit a lege donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis* MINIMIS, MINIMUS *vocabitur in regno caelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum* (MATT. 5, 18). Nec Christus igitur parva esse pro nihilo reputanda existimavit. 2° Humilitatis, quae per se ad minima et infima descendit, et ideo gratissima est Deo, qui *humilibus dat gratiam* (1 PETR. 5, 5). Idem dicendum de pluribus *additionibus*. 3° Generositatis, quae nullam etiam minimam rapinam patitur in holocausto. Deus autem, ut nos Sanctus noster admonet, non sinit vinci se liberalitate. 4° Divini amoris; ille etenim verum amorem exhibet, qui nec minima in adimplenda Dei voluntate negligit; multo vero magis etiam qui praescriptis sponte aliquid addit supererogatorie. 5° Patientiae, ut in sequenti Annotatione demonstrabitur.

Decima tertia annotatio plus requirit. Postquam enim in praecedenti suasit S. P. protrahere horae spatium potius quam decurtare, in

hac non suadet tantum, sed vult horam, tempore nimirum desolationis, semper aliquantulum excedi. *Debet semper durare* ALIQUANTULUM *ultra horam completam*. Sufficit *aliquantulum*. In praecedenti annotatione, intendebat Ignatius ut, quaecumque esset animae dispositio, hora integra impleretur, et ut id certo fieret atque contenta anima esset, suggerebat plus potius impendere temporis quam minus. Hic autem de solo tempore desolationis agitur, nec quaeritur tantum ut anima contenta sit, sed ut in daemonem desolatio retorqueatur et inimicus ille humanae naturae non repellatur solum, sed vincatur et quasi suis propriis armis prosternatur. *Aliquantulum* istud, lapillulus ille est, quem in frontem infernalis Goliath contorquet exercitans. Genus hoc certaminis apud S. Fundatorem nostrum celeberrima illa, in qua spiritualis ejus doctrina continetur, sententia exprimitur : *Agere contra;* nec contra desolationem tantum, sed contra quascumque tententiones valet.

Cum aliquis a S. P. expeditam viam peteret qua certo ad sanctitatem perveniret, respondit ille : « Novi quidem viam quam quaeris : *age contra,* » i. e. contra mundum, contra carnalia desideria, contra naturam ; fac iis e diametro

contraria. Idem aliis verbis saepe usurpabat, sicut et Xaverius : *Vince teipsum.*

At quare *debet* exercitans *tempore desolationis* horam aliquantulum excedere, dum ei hoc *suadetur* tantum tempore tranquillo aut tempore consolationis? *Quia,* ait Ignatius, *sicut tempore consolationis* FACILE *est et* LEVE *durare in contemplatione per horam integram, ita desolationis tempore* VALDE EST DIFFICILE *illam explere.* Quam leve enim diabolo est, persuadere desolato exercitanti neminem ad impossibile aut ad inutile teneri, inutile autem esse diutius sine lumine, sine sensu, sine fructu horam terere, expectandum esse tempus magis propitium, et alias similes excusationes in malis! At vir bene doctus in spiritu talibus fallaciis circumveniri se non sinit; novit enim nunquam cordatum hominem magis proficere, neque unquam majoris posse a se Deo exhiberi amoris argumentum, quam cum tribulationibus undique impetitus, tanto se fideliorem et generosiorem praebet, quanto magis desolatione premitur. Consolationes, visiones, raptus, Dei dona sunt; donum hominis est *agere contra* cum divina gratia.

Igitur complere horam, non obstante desolatione, et tentationi eam decurtandi non

cedere, hoc est diabolo *resistere;* at ille qui propter ipsam desolationem aliquantulum ultra horam completam perdurat, non solum vinci se non sinit, sed ab hora completa incipit insurgere ipse in hostem, vulnera ipsi infligit ac eum prosternit. Sic animae ad magnanimitatem pertingunt, et terrorem infernalibus potestatibus incutiunt. Qui vero non *agit contra,* in periculo est ne etiam non *resistat,* et dejectioni obnoxius omnem amittat fidelitatem. Unde enim fit ut tot christiani multa peccata committant, nisi ex eo quod contenti resistentia, nunquam agant contra? De hac re in genere tractat S. P. in reg. 12 disc. spir., in qua de omnibus agit tentationibus, quarum una desolatio est. Legatur et cap. Imit. *de probatione veri amatoris.*

Praeclarum fortitudinis illius exemplum in seipso, per totam vitam suam, in primis autem Manresae, obtulit Ignatius. Cum enim in hac civitate ingentis ac diuturnae desolationis fluctibus paene obrueretur, et desperationis sensu ad seipsum perimendum impelleretur, non tantum heroice suggestionibus diabolicis restitit nec orationes aut poenitentias intermisit, sed agens contra, ab oratione continua non destitit modo, sed factus Christo agoni-

santi similis, prolixius et vehementius oravit; immo et ad quorumdam Sanctorum exemplum, per septem integros dies ab omni cibo abstinuit. Ast quot et quantas propter suam constantiam et liberalitatem, caelestes gratias accepit!

Decima quarta annotatio de tempore opposito, scil. consolationis agit, in quo propter hujus status periculum, magnam in directore requirit prudentiam.

Ubi enim exercitans *in consolatione est, et multo cum fervore procedit,* ut ait S. P., nihil non possibile, nihil non facile videtur. *Satis suaviter equitat,* dicit Thomas Kempensis, *quem gratia Dei portat.* Hinc fervoris de suis viribus ultra mensuram confidentis periculum. Unde ait Christus : *Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius* SEDENS *computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; ne posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes : Quia hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare?* (LUC. 14, 28). Atqui periculum in promissionibus et votis maxime consistit. Promissio nimirum, non dicimus simplex propositum, quando facta est Deo vel immediate, vel mediate per Sanctos, naturam

voti induit; ac quemadmodum homini facta promissio et ab eo acceptata, dono aequivalet quo transfertur dominium, et obligat in justitia, ita votum ex virtute Religionis obligat.

Jam vero votorum, et praecipue voti Religionis, quo nil est excellentius, dignitatem et meritum nemo quidem melius, quam Ignatius, intellexit, *quamvis,* aiens, *bonum opus, quod fit cum voto, sit magis meritorium, quam quod sine illo;* quoniam operis merito meritum addit excellentius, virtutis Religionis; minime tamen fugiebat S. Fundatorem vota obligare sub peccato, nec ea, cum transgressionis periculo posse prudenter emitti. Ait enim Spiritus Sanctus : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei* INFIDELIS *et* STULTA *promissio; sed quodcumque voveris, redde. Multoque melius non vovere, quam post votum vota non reddere* (Eccli. v, 3, 4). Neque aliter loquitur Ignatius, qui non tantum vota emittentem laudat, sed et eum qui alium ad amplectendam religionem movet, id *recte facere posse* declarat, quando scilicet praevidetur non futura infidelis aut stulta promissio.

Promissio autem infidelis esse poterit, juxta S. P., et consequenter stulta, scil. rationi non consentanea, in duplici casu : 1° si ex solo

insoliti *fervoris* impetu et in mediis consolationum effluviis fiat; 2° si *inconsiderate* et *praecipitanter*. Praemoneat igitur ardentem exercitantem Director, ne inconsiderate se obliget, ut non, facta re, eum poeniteat. Et haec quidem cautela pro omnibus omnino adhibenda est; at multo magis, si homo levis sit et inconstantis indolis; hunc enim non simpliciter praemonere director debet, sed, quo levior est, eo *magis debet eum praemonere et admonere*. Quae doctrina in omnium vocationum religiosarum examine et directione accuratissime tenenda est. Neque aliquis, cum quibusdam asceticis auctoribus verba Sancti Ambrosii contra afferat : *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*. Hoc enim effatum supponit certam vocationem, qualis illa fuit vocantis Christi : *Veni, sequere me,* aut alia per 2^m^ aut 3^m^ tempus electionis (vide reg. de electione facienda) debita cum claritate perspecta. Hinc patet gravissime errare, et cum valde periculosa imprudentia procedere eos, qui seclusa supernaturali Dei interventione, contendunt tunc statim amplectendum esse religiosum statum, cum primum sentiat se quis ad illum interius moveri.

Apparet hic singularis illa S. Fundatoris

prudentia, qui dum suas condebat Constitutiones, non consolationibus, visionibus, extasibus quibus abundabat innitebatur ut leges poneret, sed omnia ad tribunal rationis lumine fidei illustratae examinanda et definienda revocabat. Haec enim hujus Sancti nota propria est et quasi caracteristica.

Exinde in hac annotatione verba haec : *nec* votum aliquod *inconsiderate* et *praecipitanter faciat,* etc., directori magnum lumen afferunt, ut contra inconsiderationem exercitantem praemuniat : *Multum attendenda est propria conditio et subjectum, et quantum possit invenire auxilii vel impedimenti in explenda deinceps ea re, quam vellet promittere.* Quantum distant a praecipitatione voces : *Multum attendenda* conditio et *multum attendendum subjectum :* conditio, i. e. adjuncta omnia in quibus subjectum constituitur; ipsum *subjectum;* i. e. vires corporeae, levis aut firma indoles, ingenium, virtus ac scientia, etc.; ex quibus fiet, ut Ignatium nemo possit accusare, quod, etsi ad sanctam vocationem integra Exercitia direxerit, alios quam vocatos a Deo, ad vitam religiosam compellat.

Proculdubio si regula hic a S. P. posita a confessariis et directoribus servaretur; si mul-

tum attenderetur quantam virtutis spem faciat subjectum, et quantum auxilii vel impedimenti possit in statu religioso invenire, multo minor esset eorum numerus, qui post aliquot annos religionis, vel propter difficultatem servandae castitatis, vel propter aliam similem causam, facultatem discedendi et votorum dispensationem efflagitant.

Decima quinta annotatio. Idem argumentum prosequitur S. P. et complet, eximiaque divinae pietatis ac supernae sapientiae praebet documenta.

Praenotemus agi in hac annotatione, non de exercitantibus quibuscumque, sed de iis quibus integra tradi possint Exercitia, de iis consequenter a quibus magna in ordine divinae gloriae expectari valeant. Sancto autem Patri nostro, qui majorem Dei gloriam in omnibus semper intendebat, nil vita religiosa, eaque apostolica excellentius videbatur. Ad hoc igitur in toto Exercitiorum decursu contendit, ut quos Deus veluti sibi signatos ad sublimem hunc vitae modum vel directe vocare, vel consilio invitare dignatus fuerit, diligenter prudenterque praeparet ac disponat.

Qui autem sancto Ignatio crimini verteret quod ad vitam religiosam suadendam Exer-

citia eomponat, Christum ipsum accusaret, qui homines ad eadem evangelica consilia invitavit : *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (MATT. 19. 21), qui tamen nemini, paucissimis exceptis, ut Matthaeo, Petro, etc., id per modum praecepti, imposuit : *Qui potest capere, capiat* (MATT. 19. 12). Ita et S. Ignatius, qui nedum intrare compellat, eis solum *extra Exercitia* eligere continentiam, virginitatem, religionem et omnem modum perfectionis evangelicae proponere concedit, *qui probabiliter habent idoneitatem,* et consequenter vocationem a parte Dei : intra vero Exercitia vetat quominus director ad vitam religiosam magis quam ad oppositum exercitantem moveat. Noverat enim S. P., ex una parte eam esse Exercitiis insitam vim, modo rite peragantur, ut per se ad vitam religiosam idoneos moveant; ex altera vero, directoris impulsionem nocere plurimum potius quam prodesse, quippe quae suspicionem pariat ac diffidentiam, et exercitantis spontaneitem tollat aut minuat. Spontaneitas enim illa multo est efficacior quam quae ab extra oritur excitatio. Et hic certe locum habet quod in ea Annot. dicit S. P., majoris scilicet esse gustus

ac fructus id quod proprio labore invenit exercitans, quam quae a directore declarantur.

At vero ad vitam religiosam quinam dicendi sunt non idonei? Ii certe non idonei censeri debent, qui necessariis, tum corporis, tum animae dotibus non pollent; qui experientia didicerunt religiosa vota, et in primis castitatis, probabiliter se non servaturos; qui ob indolis levitatem et inconstantiam probabiliter non perseverabunt; qui naturae sunt adeo singularis ac difficilis, ut cum fratribus pacifice vivere non possint; qui religioso Ordini per intemperantem et stultam audaciam graviter nocere possent; qui denique voluntatem tendendi ad perfectionem non habent; in hac enim voluntate non tantum vitae religiosae essentia et obligatio, sed et essentiale vocationis signum constituitur, juxta Christi verba : *Si vis* (non tantum per mandata ad vitam ingredi, sed et) *perfectus esse, vade,* etc.

Dicendum restat de ultima et omni attentione digna parte hujus annotationis, in qua S. P. ipsemet sublimissimam rationem exponit ob quam, tempore Exercitiorum, director diligenter cavere debeat, ne in unum vitae genus magis quam in oppositum, neque ad unum magis quam ad alium vitae modum vel

statum movere curet exercitantem. Et hic quidem cum ea simplicitate, quae, in sublimioribus praesertim Sanctis invenitur et ipsi Deo propria est, et cum admirabili unctione Spiritus Sancti, rem altissimam proponit. Ex hoc loco duo innotescent : 1° non excludi a S. P., etsi nullibi in suo libello de iis aperte agat, gratias extraordinarias et altissimam cum Deo unionem, 2°, quis sit proprius sancto Ignatio modus tenerrimos et omnino caelestes affectus in exercitante provocandi. Paucissimis id efficit; sed singula verba, si quis ea corde bono et optimo meditatus fuerit, superno sensu et divina unctione plena reperientur.

Audiamus ipsum Sanctum Patrem : *In talibus Exercitiis,* (non igitur qualibuscumque, sed hisce suis, quae et ipsemet in se erat expertus, et sibi a Deo suggesta sciebat) *convenientius est et multo melius, quaerendo divinam voluntatem, ut ipse Creator ac Dominus animae* SUAE (quae per devotionem *sua* facta est) *devotae se communicet, eam amplexans in suum amorem ac laudem eamque disponens ea via qua melius poterit ei deinceps servire.*

Nempe, ubi quis, per praecedentia exercitia paratus, sincere et ex amore *divinam quaerit*

voluntatem, Spiritus sanctus, qui lumen, amor et sanctificatio est, directori se substituit, et vices ejus excellentiori, utpote divino, modo agit, idque, ut infra ait S. P. *immediate;* quae ultima vox, sub specie explicationis et sine ulla emphasi, intimas et sublimissimas cum Deo communicationes innuit.

Ut Ipse Creator ac Dominus, eo per infinitam suam bonitatem deveniens ut intimi directoris munere fungatur. Quanta igitur orationis dignitas! Quanta et Dei benignitas!

Animae suae (sibi) devotae : omnes quidem animae dominationi Creatoris essentialiter subsunt; sed de anima hic agitur, quae sponte sua, ex vero ac filiali amore, se per intimam donationem tradit Deo, cujus *deliciae sunt esse cum filiis hominum* (Prov. 8. 31); ita ut Creator ac Dominus, non solo jam divini sui Dominii jure, sed propter liberam ipsius animae donationem dicere valeat quod *sua* sit.

Hinc Dei in talem animam ineffabilis ac sponsalis amor, quo *eam amplexans,* atque ad se attrahens, eam dermergat et quasi absorbeat *in suum amorem ac laudem,* ita ut Jesu sponsa effecta, nil amplius spiret praeter Sponsi amorem et gloriam. — *In amorem suum ac laudem :* in his verbis totus Ignatius est, in

quo, a conversione ejus ad mortem usque, nihil aliud reperies, quam ardentissimum Christi Jesu amorem, et insatiabile majoris Dei gloriae desiderium. *Ad majorem Dei gloriam — Lampades ejus lampades ignis atque flammarum : aquae multae non potuerunt extinguere charitatem* (Cant. 8. 6.). Ideo *amplexans* Jesus eum, non solum *in* amorem suum ac laudem, sed ad fundandam ipsi Societatem, ipso nomine Jesu insignitam, et amori ac gloriae Jesu devotam traxit in vinculis charitatis.

Ubi *autem Deus animam in suum amorem ac laudem amplexans,* eam ad perfectam dispositionem illam de qua in regulis ad bonam electionem faciendam adduxerit, fieri certe non poterit, ut tam amato et tam amante duce, anima illa in electione oberret. In regulis dicitur petendum esse a Deo, ut ponat in anima id quod vult. Simili modo et hic dicit Ignatius : *Disponet enim animam Deus ea via, qua melius* (scil. cum *majore* Dei gloria) *poterit ei deinceps servire*. Ex quo patet vocationem ad statum perfectionis, juxta Sanctum Patrem, a Deo venire oportere, eamque donum Dei esse gratuitum ac singulare.

In fine, propter summum rei modo tractatae momentum, ad monitum initio annotationis

enunciatum redit S. P.; utque nulla omnino, ac ne levissima quidem ex parte directoris motio existat, rem eloquenti comparatione elucidat et confirmat : *Ita ut,* ait, *qui tradit Exercitia* NON DIVERTAT, *nec* SE INCLINET *ad unam, neque ad alteram partem, sed consistens in medio, ad instar bilancis, sinat Creatorem cum creatura, et creaturam cum suo Creatore ac Domino* IMMEDIATE *operari.*

Haec documenta quam saepe ob oculos ministrorum Christi quibus contingit selectas illas animas quae vere Deo devotae sunt, ac cum eo intimius communicant, dirigunt, observari debeant, nemo non videt.

Decima sexta annotatio providet ut mutua illa Creatorem inter et creaturam communicatio, de qua modo actum est, non impediatur. Impediretur nimirum per indocilitatem. Fieri enim nequit, ut interna vox Dei sive discernatur et audiatur, sive acceptetur et executioni mandetur, nisi creatura docibilem se et ad quaecumque paratam Creatori suo ac Domino exhibeat. De hac animae dispositione in regulis electionis agetur, ac ut conditio sine qua non, ad bonam electionem faciendam, plena ad omnem Dei voluntatem ponetur indifferentia.

Haec exercitanti tunc solum, cum ad tempus electionis pervenerit, erunt communicanda; directori autem ab initio ob oculos versentur. Unde iterum ex hac et ex sequenti annotatione liquet eam esse annotationum naturam, ut ei qui facit Exercitia singulae, pro praesenti necessitate tantum aut utilitate sive applicari sive explicari debeant.

Indicat ipse S. P. quae sit inter 15[m] et 16[m] annotationem connexio, cum ait : *Ut Creator ac Dominus certius operetur in sua creatura.*

Certius; nam nec de essentia est, nec semper necessarium ad divinam in anima operationem, ut se *in contrarium* moveat exercitans; per se enim saepius sufficiet inordinationi *resistere;* sed cum saepe accidat talem vim inordinationis existere, ut qui non se moverit in contrarium nec sit restiturus, in re tanti momenti tutiorem et securiorem viam tenere suadet Ignatius.

Si forte, ait, *talis anima, talis,* scilicet ceteroqui bene disposita divinamque voluntatem et volens et *quaerens, inordinate affecta sit et inclinata ad rem aliquam.* Non dicit *affecta* simpliciter, sed *inordinate affecta;* nam, ut ex sequentibus patet, res illa ad quem quis inordinate inclinatur minus bona supponitur

quam opposita, aut forte etiam sub aliquo respectu imperfecta, indeque relative mala; secus enim non diceretur affectio inordinata. Nullatenus autem agit hic S. P. de bene ordinata affectione, quae divinam communicationem mire adjuvat, nedum illi obstet. Ergo si quis ad paupertatem Christi amplectendam vehementer affici se sentiret, quae est Deo gratissima, stultissime ageret, si, ad eum statum idoneus, moveret se in contrarium. E contra qui affectum se sentiret ad conservandas divitias, is movere se ad desiderandam paupertatem deberet, ut nimirum si Deus eum ad hanc vocare dignetur, certius non resistat, sed quasi sponte obsequatur. Hinc patet quo sensu Ignatius indifferentiam requirat, illud scilicet unice intendens, ne in usu creaturarum et vocationum in specie impediatur homo per inordinationem, ab amplectenda Dei voluntate vel beneplacito, neve ad malum aut ad minus bonum pertrahatur.

Quaenam vero *inordinata* dicenda sit affectio et inclinatio, indicat infra S. P., ubi exemplum de quaerendo vel possidendo beneficio proponit : *veluti si affecta est... non ob honorem et gloriam Domini Dei nostri, neque ob salutem animarum* (scil. ob majorem fructum in procu-

randa salute hominum : nam hic de zelo agitur) *sed ob sua propria commoda et utilitates temporales*. Haec vera inordinatio est, immo et crassa in tam divino ministerio dici debet, in quo maxima Dei gloria et salus aliorum expetenda et quaerenda est. Idem principium ad omnia in fundamento Exercitiorum extenditur. Cum enim homo ad id unice creatus sit, ut cum divina gratia vitam suam suaque omnia, non ad suam propriam, sed ad Dei gloriam libere ordinet, inordinatus censendus est omnis affectus, qui quae sibi propria sunt ut finem intendit, non quae sunt Dei. *Quaerentes quae sua sunt, non quae Jesu-Christi*. Quivis autem duci se inordinato affectu, ex sola agitatione animae facile dignoscet, qua et se anxie moveat ad id quod cupit, et quasi a priori quae sibi displicent a cogitatione sua removeat, nec ad examen quidem vocanda velit existimare.

Si quis igitur ea inordinatione laborat, Deum habere magistrum nec sincere vult, nec meretur, ac Deus proinde aut non loquetur, aut non audietur. Quis enim discipulum voluntarie indocilem sine fructu docere magister consentiat? Notemus vero S. Ignatium malam hanc voluntatem in exercitante non

supponere, quae inutilia redderet Exercitia, sed providere ne in periculum talis aberrationis per naturalem affectum incidat; cui ut occurrat periculo, efficacissimum affert remedium : *valde conveniens est animam movere se, adnitendo totis viribus, ut veniat in contrarium ei rei cui affecta est.*

Non igitur hic sat est aurea illa, de qua in fundamento et in ipsis electionis regulis, indifferentia; quae quidem ubi affectus rationi, ratio autem Deo perfecte obtemperat per se sufficit, quia tunc homo nil amplius quaerit praeter divinam voluntatem, quam sine ulla resistentia statim amplectetur atque invenerit. Ast cum saepe ac fere semper sensus contra rationem pugnet, requiritur ad ipsam obtinendam indifferentiam, ut quemadmodum curvata virga, ut ad lineam rectam reducatur, in partem contrariam incurvanda est, ita et homo exercitans se in opposita sensui moveat. Sin autem fiat, ut nulla affectio inordinata dominetur, S. Ignatius non dicit : *necesse est,* sed *valde conveniens est.*

In hac annotatione iterum propria illa S. Ignatio doctrina recurrit, saepiusque recurret : *Agere contra;* nam qui ita agit non solum insilienti hosti resistit, ut jam dixi-

mus, sed in hostem insilit ipse eumque prosternit.

Quomodo autem ad id exercitans perveniet, ut ad contraria afficiatur? Respondet S. P. : duplici modo : 1. Per proprium laborem atque per invictam fortitudinem : *Adnitendo,* non quocumque modo, sed *totis viribus,* magna scilicet cum generositate erga Deum. 2. Per divinam gratiam quam orando obtineat : *Instando* (non simpliciter *orando) in orationibus multis, aliisque exercitiis spiritualibus, et petendo contrarium a Deo Domino nostro;* atque ut magis ac magis in re tam difficili obfirmetur voluntas, addit : *protestando nolle se tale officium vel beneficium, vel aliud quidquam, nisi sua divina Majestas in ordinem redigens ejus desideria, primum suum affectum ipsi mutaverit, ita ut causa desiderandi vel tenendi unum vel alterum sit solum obsequium, honor et gloria suae divinae Majestatis.*

In ordinem redigens ejus desideria. Non igitur S. P. intendit ut nulla sint desideria, sed ut reducantur in ordinem; ordo autem ille est qui in *Fundamento* declaratur : Dei obsequium et gloria ; quoque majus erit obsequium et major gloria, eo etiam major erit ordo ac perfectior; eo et gloriosiora Deo erunt in hoc

ordine ardentia desideria. Hinc iterum colligitur ea sola reprimi debere desideria quae perfectiorem electionem impediunt, ut sunt ea de quibus in meditatione *de duobus vexillis* agitur, divitiarum et ceterarum mundi fallaciarum amor, quae, etiam si per se malae non essent, sed indifferentes tantum, magnum tamen plerumque recelant in se periculum.

Ex his apparet quoque, quantum errent parentes, qui, sub specie probationis, filios suos ad statum religiosum vocatos, non sine gravi peccato, illecebris mundi irretire conantur ut eos a vocatione ipsorum avertant.

De desideriis quae in se mala sunt non agit hic S. P.; quae per exercitia primae hebdomadae penitus sublata supponit.

Decima septima annotatio de intima cognitione tractat, quam sui exercitantis habere debet director, ut eum recte regere possit : sive cognitio illa per spontaneam et valde proficuam cordis manifestationem, sive per studium et observationem hauriatur.

Et primo quidem vult S. P. *ut qui tradit Exercitia ne intendat percontari aut scire proprias ejus qui illa accipit cogitationes et peccata,* quia res esset fere semper exercitanti valde odiosa, unde odiosus director ipse fieret et omnem sui

discipuli fiduciam amitteret. Si enim poenitenti sua in confessione peccata aperire durum plerumque est, multo durius est eadem extra Sacramentum confiteri; neque de solis *peccatis* hoc verum, sed et de *cogitationibus;* nam intimarum cogitationum revelatio majorem saepe ruborem excitat quam ipsorum peccatorum confessio. Unde nec directe nec indirecte percontetur director, nec *intendat* percontari; nam si simile quid *intendit,* proculdubio id advertet aut suspicabitur exercitans. Observet igitur ipsemet director exercitantem, et inde intus legat sui hominis dispositionem, vel spontaneam ejus rationem conscientiae expectet.

Haec sapientissima S. Ignatii doctrina universalius est extendenda. Nam etiam extra Exercitia, etiamsi in illa percontatione incommoda quae diximus non existerent, non esset extra confessionem percontandum; quod maxime, non solum confessariis, sed et magistris atque invigilatoribus in scholis et collegiis est applicandum. Expiscationes enim illae ex una parte, et ex altera enarrationes peccatorum praesertim contra castitatem, periculosissimae sunt utrique, et plerumque nocivae, nedum quidquam prosint. Et ut de solo in-

terrogato dicamus, si pudorem servavit quidem, percontatio illa incredibiliter erit ei odiosa; immo, quod lamentabilius est, talibus interrogationibus et enarrationibus specialium turpitudinum, periculum amittendae verecundiae incurret, aut ex parte interrogantis scandalizabitur. Si autem pudorem jam amisit, vel libenter et peccaminose, quod non raro accidit, de turpibus confabulabitur, vel, videns sacerdotem aut religiosum facile de talibus sermones miscere, credet ipsum non adeo abhorrere a peccato, et inde minorem etiam quam antea pudorem concipiet. Hinc, ubi innotescit in genere aliquem in peccata carnis impingere, confessarius, vel magister, vel invigilator, pudoris gratia, non audiat peccata in specie, sed remittat hominem ad poenitentiae Sacramentum. Ad interrogantem autem quod pertinet, ne obliviscatur esse se hominem, non angelum. *Qui amat periculum, in eo peribit.* Quae enim confessario, propter adnexam Sacramento gratiam, nullius erunt periculi, immo et taedium procreabunt, plena periculi extra confessionem non raro futura sunt.

De *cogitationibus* vitiosis non indagandis egimus; sed et alias nonnullas cogitationes

requirere director minime debet : v. g. tentationes seu proclivitatem ad hoc vel illud peccatum, immo et motiones ad talem aut talem vitae statum; quod ultimum ex decima quinta annotatione satis apparet.

At quomodo sibi ipsi constat S. Ignatius, qui initio hujus annotationis directorem prohibet percontari de cogitationibus, in fine vero eum vult certiorem fieri de agitationibus et cogitationibus? Haec sibi nullatenus contradicere invenies, si attenderis interrogationes non circa *cogitationes* simpliciter, sed circa *proprias* cogitationes prohiberi, illas nimirum quae *ab intus,* scilicet a voluntate, veniunt et ad forum conscientiae proprie dictum pertinent; non vero de iis quae ab extra veniunt, scilicet a bono vel a malo spiritu. Vult enim S. P. directorem non tantum scire, sed *fideliter certiorem fieri de variis agitationibus et cogitationibus quas diversi spiritus ipsi immittunt.* Quod et sufficit et requiritur : *sufficit,* nam cetera Creatori ac Domino cum sua creatura communicanti sunt relinquenda; *requiritur,* ut scilicet opportuno tempore hanc vel illam de disc. spir. regulam applicans director provideat ne per insidias operationem Dei malus spiritus impediat.

Verbo, illae cogitationes patere debent quae Exercitiorum progressum et efficaciam perturbare possent, et liberam creaturae cum suo Creatore tollere communicationem.

Decima octava annotatio soli directori destinata, ei, in modo tradendi Exercitia, campum aperit latissimum simul et diversissimum. Multum enim a mente sancti Fundatoris abfuit, ut plerisque exercitantibus talia qualia sunt in libello integra traderentur Exercitia; sed paucorum haec est pars. Pauci enim, immo paucissimi sunt, qui ad tantam movendam molem, et ingenium, et tempus, et voluntatem et liberam sui dispositionem habeant. Accommodanda igitur singulis exercitantibus illa pars est quae, quoad qualitatem et quantitatem, eis conveniat. Atque in nulla ex aliis annotationibus aeque ac in ista apparet, quanti momenti sint vices illius qui tradit Exercitia, quantum in eo, cum perfecta hominum cognitione, practicum judicium requiratur, et quantus usus Exercitiorum.

Jam age, juxta instructionem dictante ipso S. Ignatio conscriptam, nemini Exercitia integra ut jacent tradi debent, nisi sequentes conditiones, aut plerasque earum habeat :

1. Ejusmodi ille sit, ut sperari possit valde

utilis futurus domui Dei, si ad ejus obsequium vocatus fuerit.

2. Si nondum requisita ad hoc talenta artium et scientiarum habeat, saltem ejus aetatis ac ingenii sit, ut ad ea aliquando pervenire posse videatur.

3. Ut sit ei libertas amplectendi etiam statum religionis; nam eo collimant Exercitia, ut ii qui forte ad talem perfectionem aut saltem ad majora praestanda obsequia vocantur, efficacius juventur ac disponantur.

4. Ut ad spiritualia affectus videatur.

5. Ut non sit jam in statu a quo difficulter dimoveri posse videatur, ut ad statum perfectionis perveniat.

At etsi paucis integra Exercitia concedit S. P., neminem tamen ab iis excludit. Nam plures aut pauciores, has aut illas exercitationes prudens et sapiens director, pro ratione personarum, adhibebit, eas scilicet 1° *quas* exercitans *commode et suaviter ferre possit;* ceterae enim non prodessent, utpote onerosae et injucundae; 2° *quibus magis possit se juvare et proficere.*

Quae duo si diligenter director attendat, habebit unde se ipse dirigat, capacitatem subjecti, ejusque habilitatem ante omnia in-

telligens, et notans verba illa prudentiam S. Patris olentia : *commode et suaviter;* quoniam naturae, etiam in spiritualibus, habenda ratio est, ut libenter et dilatato corde fiant omnia. Si ergo pauca subjectum ferre potest, da pauca; si plura, da plura, ita tamen ut *commode* et *suaviter* ferat, quibus *juvare se* possit *et proficere* personali labore.

Videamus jam ex ipsa hac annotatione quosnam S. P. ab integris Exercitiis faciendis excludat. Eos in varias classes dividit.

In genere patet ex jam dictis eos omnes excludi, a quibus magna non possint ad Dei gloriam expectari. Unde excluduntur :

1° Rudes qui sufficiens ad intelligenda Exercitia ingenium non habent. Item qui viribus corporeis ad integra Exercitia facienda non pollent; quibus dabitur id quod commode et suaviter ferre possint. Cum illitteratis quid sit agendum modo dicetur.

2° *Ii qui tantum se juvare volunt ut instruantur et ut perveniant ad certum gradum contentam reddendi animam suam.* Hos et rudes aut illitteratos eodem modo tractari vult S. P.; dentur videlicet utrisque *leviora,* scil. iis *portabiliora* exercitia; *leviora* relate ad ipsos, non levia *in se*. Quis enim *leviora in se* vocet exer-

citia de peccatis, de inferno etc., quae tamen, ut patet ex fine hujus annotationis inter levia illa recensentur? Sunt levia illa exercitia existimata a S. P. N. quae primam hebdomadam spectant, ut innuitur ad finem annotionis : *neque in alia ulla Exercitia quae sunt extra primam hebdomadam.*

Jam vero *fundamentum Exercitiorum,* si integrum accipiatur, certe inter levia poni non potest, siquidem continet in radice quidquid perfectionis concipi potest. Hujus primae lineae tantum leves dici possunt, quia portabile omnibus et necessarium onus continent; ideoque omnibus sunt tradendae. Ac re quidem vera quantumcumque parva domus aedificetur, ante omnia fundamentum ponatur necesse est. Quis enim Exercitia etiam breviora cum fructu faciat, nisi ab initio profunde sentiat proximum et ultimum finem suum? Conclusiones autem circa usum creaturarum relate ad finem, si ad perfectionem usque deducerentur, vel essent supra captum eorum de quibus agitur, vel dispositionem voluntatis excederent.

Cum autem in hac duplici classe de hominibus agatur qui instructioni suae ac saluti tantum prospicere velint, S. P. illa tantum iis

destinat Exercitia quae ad hunc finem sufficiant, ea scilicet quae 1° ipsos de praeceptis instruant, 2° detestationem praeteritorum peccatorum pariant, et 3° vitam in posterum vere christianam reddant.

Jam vero ad haec obtinenda, nil efficacius pro talibus, quam ea concreta et faciliora quae ponuntur a S. P. exercitia; nempe : *Examen particulare, examen generale, primus modus orandi circa praecepta, peccata mortalia, tres potentiae animae, quinque sensus* et *opera misericordiae;* commendanda dehinc *octiduana* confessio, *communio* autem singulis *quindecim saltem diebus.*

Tenuia forte alicui illa videbuntur; at si director fuerit in praeparandis istis exercitiis peritus, ita ut in iis vere personaliter sub oculis Dei laboret exercitans, vitam eximie christianam efficient.

Ac primo *examen particulare,* si rite intelligatur et fiat, peccata omnia tollet, unum scilicet post aliud; continuum vitiis per totam diem bellum indicet, ac christianam virtutem fortitudinemque indesinenter acuet.

Deinde vero *examen generale* non sinet animae inhaerere peccata; ea deteget ac per contritionem delebit, innocentiam fovebit et Dei timorem cordi incutiet.

Primus autem orandi modus, etsi aliqua ex parte duplici examini praedicto similis, omnino tamen ab utroque est distinguendus : vera enim sui generis, etsi brevior, meditatio est, ut suo loco patebit. Atque in fine quidem Exercitiorum modus ille orandi describitur, minime tamen ut in fine tantum legatur et exerceatur, siquidem ad primam refertur hebdomadam; neque illud exercitium solis rudibus aut inhabilibus familiare esse voluit S. P. sed commune omnibus omnino exercitantibus. Pars enim illa Exercitiorum est, quae inter leviora quidem seu portabiliora recenseatur, sed veram atque utilissimam exercitiorum primae hebdomadae partem constituit. Nec quidquam aptius esse potest, post meditationes in genere de peccatis, de inferno etc. quae materiae in omnibus missionibus rudi etiam populo proponuntur, et necessarium fundamentum sunt ipsorum leviorum exercitiorum, quam plurimas in consideratione singulorum praeceptorum et peccatorum horas impendere, ut de singulis peccatis profundus horror et dolor concipiatur. Ita certe rem intellexit S. P., qui tres tantum meditationes pro prima hebdomada proposuit, de reliquis directori confidens, quem supponit habere intellectum.

Jam si duplici examini, si primo orandi modo in morem inducto, frequens confessionis ac sacrae Communionis usus addatur, non poterunt Exercitia suo illo fine frustrari, qui solus in personis de quibus agimus requiritur, scilicet vita vere christiana.

3. Tertia classis eorum est, qui forte jam integra coeperunt Exercitia, sed quos in decursu primae hebdomadae director *videt esse exigua subjecta, vel parvae capacitatis, a quibus non speratur multum fructus,* v. g. vocatio religiosa vel apostolica, aut aliquid aliud insigne.

Talibus non vult S. P. ut integra tradantur Exercitia, ne pretiosum Directoris tempus, quod aliis multo majori cum foenore applicabitur cum exigua utilitate teratur. Ex quo igitur animadvertit director talem esse eum cui tradit Exercitia, moveat suum gubernaculum, recedensque ab alto mari ad modestiorem plagam naviculam dirigat, minime de hac directionis novitate suum exercitantem monens; qui hanc mutationem ne suspicabitur quidem, cum juxta undecimam annotationem prorsus ignorare debeat quae sint secutura in libello exercitia, et consequenter quantum temporis sacro secessui sit daturus.

Sequentem regulam S. P. statuit pro hac

classe : *Convenientius est* (propter exiguum fructum majoribus Exercitiis colligendum) *aliqua ei tradere ex his Exercitiis levibus, donec faciat confessionem suorum peccatorum ; ac dein dando illi aliqua examina conscientiae, et praescribendo ut confiteatur frequentius, quam solebat, ut se conservet in eo quod adeptus est, non progredi ulterius in materias electionis, neque in alia ulla Exercitia, quae sunt extra primam hebdomadam, maxime quando in aliis major profectus fieri potest, dum tempus non est ad omnia.*

Aliqua ei tradere EX HIS EXERCITIIS *levibus.* Hujus particulae : *Ex his* duplex interpretatio dari posset, nimirum vel : *levia ex libro Exercitiorum;* qua re naturalis vocabulorum sensus detorqueri videtur; vel cum versione vulgata : *ex dictis levioribus exercitiis* initio scilicet hujus annotationis enumeratis. Huic potius standum videtur 1. quia hic sensus obvius est; 2. quia, ut diximus, leviora intelligit S. Pater, non levia in se, sed exercitanti *portabilia*; 3. quia priori sententiae obsistit, quod in fine hujus annotationis dicitur : *non progredi in alia ulla Exercitia, quae sunt extra primam hebdomadam.* Quae ultima verba sat clare indicant S. Ignatium a levibus exercitiis meditationes in prima hebdomada positas, non excludere.

Quid enim levius, quid cuicumque portabilius, quam meditationes de peccatis, de inferno, etc?

Hoc autem discriminis primam secundamque inter et tertiam classem ponit, quod homines hujus tertiae classis utilitatem quidem caperent ex factis integris Exercitiis, sed non eam quae tanto ac tam diuturno labori responderet; nam, etiam si vellent, ingenia illa, utpote nimis mediocria magna pro domo Dei praestare non possent. Quam ob rem tempus eorum qui tradunt Exercitia iis qui insigniores fructus dabunt impendetur.

Cum autem hujus tertiae classis homines plerumque pii sint, non determinatur octiduana, sed *frequentior quam* solebant confessio et communio, ut conservent se in eo quod adepti sunt.

Ex modo dictis iterum et sole clarius apparet, quum plerique exercitantes ad unam ex tribus praedictis classibus pertineant, paucis admodum integra destinari Exercitia. Unde nemo mirabitur magna Exercitia scholam religiosae et apostolicae vocationis appellari.

Decima nona annotatio quartam classem proponit, nimirum eorum qui, litterati vel ingenio pollentes, requisitas a S. P. dotes ad

integra Exercitia cum debito fructu peragenda possident quidem, sed in rebus publicis, quas interrumpere necessitas non patitur, implicati sunt, vel negotiis distinentur quae abrumpere non convenit. Illi integra etiam peragant Exercitia, modo ad ea quantum necesse erit protrahenda animo parati sint. Atque hic apprime Exercitiorum, ut ita dicam, elasticitas apparet.

Ab istis omnibus unam tantum exercitiorum horam matutinam cum dimidia S. Ignatius requirit quotidie adimplendam, hoc modo : *proponendo ei primum ad quid creatus est homo*. Cui considerationi vel meditationi hora integra impendatur. Quot vero dies sint huic exercitio impendendi, et utrum iis fundamentum integrum per partes tradendum sit, S. Ignatius praetermittit, ut qui tradit Exercitia, quid profuturum, quid necessarium sit, judicet. Supponit tamen S. P. plures huic materiae dies attribuendos, si quidem primo die per ultimam semihoram jubet tradi examen particulare, secundo autem per idem tempus examen generale; sequenti vero aut sequentibus diebus modum confitendi et sumendi Sanctissimum Sacramentum.

Deinde transitus fiat ad primam hebdoma-

dam, quae disponatur hoc fere modo, ut tres dies tribuantur unius horae meditationi de triplici peccato; prima die, de primo peccato, scil. angelorum; secunda die, de peccato primorum parentum nostrorum; tertia autem, de homine damnato ob unicum peccatum mortale; praeambula et colloquium sint eadem singulis tribus diebus quae in meditatione de triplici peccato proponuntur.

Per alios plures dies similiter dividenda meditatio instituatur de propriis peccatis.

Dein per aliquot dies, de poenis quae peccatis respondent, scil. de inferno.

Notat S. P. per omnia illa exercitia tradi ac observari debere decem additiones.

Haec tantum tradit pro prima hebdomada; sed, ut suo loco videbitur, in iis meditationes de morte, de judicio, etc, continentur. Suum pariter tempus habebit primus orandi modus. Quae quomodo distribuenda sint, director videat. P. Possevinus negotiis Societatis implicatus praedicto modo peragens Exercitia, ad quadraginta septem dies primam hebdomadam eximio cum fructu produxit.

In sequentibus hebdomadibus eumdem procedendi modum S. P. praescribit.

Vigesima annotatio de iis tandem agit qui

ad magna Exercitia facienda idonei sunt, nec ullis negotiis impediuntur. His tradi omnia poterunt, eo ordine ac methodo, quae in libello describuntur, sed ea conditione, quae omnino est notanda, *ut desiderent in omnibus, quantum possunt, proficere*. Solis enim magnanimis tantus ac tam arduus labor, cum fructu a S. Ignatio intento, succedere potest.

Hoc posito, unicam rem Exercitia aggredienti commendat Ignatius, perfectissimam scilicet, quantum fieri potest, solitudinem, quam *segregationem* et *secessionem* vocat : conditionem adeo necessariam ad rite obeunda Exercitia, ut, judicio S. P. N., major vel minor profectus ab ea dependeat. Debet ergo haec esse quoad *locum* et quoad *personas* perfectissima. 1. Quoad *locum, migrando e domo in qua habitat, et eligendo aliam domum; si fieri id non possit, eligendo aliud cubiculum, ut ibi degat* QUAM SECRETISSIME *possit*. E domo exeundum, ne multae distractiones per visum et auditum hauriantur; vel saltem e cubiculo, quia et libri, et chartae et supellex ipsa, quae extra secessum ne advertuntur quidem, multas curas et sollicitudines menti, juvante diabolo, parerent. Noverat profecto ipse S. Pater quanti pretii specus manresana sibi fuisset;

noverat et effatum Spiritus Sancti : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* (Os. 2. 14.). 2. Quoad *personas : segregando se ab omnibus amicis et notis et ab omni sollicitudine terrena; ita ut in ejus potestate sit ire quotidie ad* MISSAM *et ad* VESPERAS, *absque timore ne noti sui eum impediant.*

Voluntarii hujus secessus exemplum nobis dederunt Christus Dominus et Sancti ejus. De Jesu quidem dicitur in Evangelio : *Ductus est in desertum a Spiritu;* immo ad orandum solebat noctis ac silentii tempore solitaria ascendere montium cacumina. — Propheta autem dixerat : *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* (Ps. 54. 8.). Nam *non in commotione Dominus.* Apostoli vero jubente Domino secesserunt, ut expectarent promissum Spiritum Sanctum.

Sed et ratio ipsa idem suadet. Secessione enim multae tentationes ac perturbationum causae vitantur; vitantur et multa rerum ac personarum phantasmata, importunae recordationes, grati sensus aut ingrati, et alii fontes distractionum multiplices.

Tres tantum secessus utilitates, quae veluti ex visceribus rei eruuntur, proponit S. P. N.

Prima est, *quod segregando se quis a multis amicis ac notis, itemque a multis negotiis non bene*

ordinatis, ut serviat Deo Domino Nostro eumque laudet, non parum meretur coram divina sua Majestate.

Non parum meretur, quia renuntiando rei ad quam natura multum afficitur, scilicet multis amicis et notis, vincit seipsum; renuntiando autem insuper multis negotiis non bene ordinatis, quibus, eo ipso quod non bene sint ordinata, i. e. non pure ordinata juxta *Fundamenti* principia, naturaliter fortius adhaeret, naturam pariter affligit; idque eo magis quod his renuntiat, non ad commodum aliquod temporale, immo neque ad spirituale, sed, quod est valde notandum, *ut serviat Deo Domino Nostro eumque laudet.* Animadverte hic S. Patrem non tantum utilitatem ostendere, sed et modum quo haec utilitas certo percipiatur, scilicet ut intendamus non proprium emolumentum in illa segregatione, sed *Dei servitium et laudem.* Et re quidem vera mirum est quantum generositas illa in divino servitio gratiarum ac favorum caelestium exercitanti conciliet, quantumque inde in ferendis aridatibus et desolationibus juvetur ac confortetur, qui, quoquomodo res sibi succedant, dicit : Non meam consolationem quaero, sed divinam gloriam; quantacumque igitur sit

mea ariditas ac desolatio, pergam fideliter; quidquid sit de me, modo per fidelitatem meam Deum glorificem, hoc mihi sufficit. Atque utinam non in secessibus tantum, sed et in quotidianis pietatis exercitiis haec sentiremus ac sequeremur! Quanta exinde esset nostra in divino servitio constantia! quantas ad perfectionis apicem ascensiones in corde nostro disponeremus!

Secunda utilitas est, quod ita segregatus, non habens intellectum divisum circa multa, sed ponens omnem curam in una re sola, scilicet in serviendo Creatori suo et in profectu animae propriae, liberius utitur naturalibus suis potentiis ad quaerendum diligenter id quod tantopere desiderat.

De secessionis merito dictum est; jam de ejus virtute relate ad exercitium facultatum. Hoc enim exercitium, etsi poenam semper adjunctam habet, mediante segregatione illa a negotiis et hominibus, suavior multo efficitur et efficacior, non tantum quia sic innumerae tolluntur distractiones quae mentem a meditatione avertunt eamque incredibiliter fatigant et exsiccant, sed quia potentiae animae, exclusis evagationibus, vim suam totam exerunt, et suavius ac fortius, junctis amice viribus, in una sola re versantur.

Nec sine causa iterum, propter summum rei momentum, repetit S. P. unum tantum finem esse intendendum, nimirum : *in serviendo Creatori suo,* eique fini primario secundarium addit in *Fundamento* positum : *et in profectu animae proprie;* nam non solum suum, sed nostrum etiam bonum vult Ille, qui bonorum nostrorum non eget. Utrumque ergo curare debemus.

Notentur verba quae sequuntur : *ad quaerendum* DILIGENTER *id quod* TANTOPERE *desiderat.* Sine labore, sine sedula et diligenti applicatione, magna fiunt nulla in Exercitiis; jam vero diligentia non existet, et exiguus fructus colligetur, nisi divini servitii et profectus animae arserit in corde desiderium. Christus enim dixit : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (MATT. v. 6.) : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus* (Ps. 10. 17). Ideoque S. Ignatius ait : *id quod tantopere desiderat;* ideo etiam nulla forte, maxime in praeambulis et examinibus, ab eo in Exercitiis vox frequentius adhibetur quam haec : *quod volo, quod desidero.*

Quae de secunda hac utilitate dicuntur mire concordant cum iis quae in sexta additione tam sollicite commendantur. In hac enim

conspirantium animae virium unitate, praecipua latet Exercitiorum virtus et efficacia.

Tertia utilitas : *Quanto magis anima nostra reperit se solam et segregatam, tanto se reddit aptiorem ad appropinquandum Creatori ac Domino suo, Eumque attingendum; et quanto magis ita Eum attingit, eo magis se disponit ad suscipiendas gratias et dona a sua divina ac summa Bonitate.*

Haec verba merito inter sublimissima totius libri Exercitiorum sunt reponenda; quae primo quidem aspectu nihil continere videri possunt quod non sit omnium captui accommodatum, juxta illud : *Accedite ad Eum, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur* (Ps. 33. 6.). Quis enim in rebus spiritualibus non omnino rudis nesciat orationem scalae esse similem, qua homo sese ad Deum elevet, elevationem autem illam existere non posse, nisi quae sub se sunt anima derelinquat, eoque magis ab anima creata omnia distare ac despici, quo magis ad Deum illa adscendit? Quis pariter ignoret hac animae elevatione gratias obtineri a divina Bonitate? Quis tandem non intelligat, quanto magis sola cum solo Deo anima communicet, tanto melius orationem procedere?

At haec cortex sunt verborum S. P. N.; sub cortice, medulla. Communis haec omnibusque obvia theologia est; sed, more suo sub rebus communibus manna abscondit S. P. solis selectis ac sanctis animabus reperiendum. Summos enim theologiae mysticae apices quae hic habentur attingunt; immo quae postea S. Teresia in suo sublimissimo opere : *Internum animae Castellum, vel Mansiones animae,* fusius descripsit, paucissimis verbis hic innuuntur. Nec mirum videatur eadem Ignatium scripsisse ac S. Carmeli Fundatricem, quippe qui eadem omnino atque ipsa in se sensit et expertus est. Utrique profecto communia fuere altissimus orandi modus, divinus Christi amor, visiones, extases, raptus; utrique eadem discretio spirituum; utrique et summa magnanimitas et zelus animarum ardentissimus. Discriminis hoc tantum interest, quod Seraphica Virgo doctrinae suae pabulo sanctas animas directe et ex professo reficere intendit, Sanctus autem Ignatius suam doctrinam exterius omnibus attemperatam, selectis illis animabus non nisi insinuatione ac veluti sub velamine altissima vitae spiritualis documenta tradidit.

Abs re igitur non erit comparationem ali-

quam instituisse praesentem inter sancti Ignatii doctrinam, et documenta quae in memorato superius opere teresiano exponuntur; qua ex collatione liquide constet S. Patrem eamdem doctrinam paucis admodum verbis delineasse, quam fuse et magnifice Seraphica Mater explicavit. Ut autem uterque intelligatur, pauca sunt praemittenda.

In libro Gen. legimus Deum *creasse hominem ad imaginem et similitudinem suam*. Unde concludit Ignatius in contemplatione de amore spirituali hominem esse templum Dei. *Vos estis templum Dei vivi* (2 COR. 6, 16). Et Christus ante suum Apostolum dixerat : *Si quis diligit me... ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (IO. 14, 23). Haec quidem de mansione divinae charitatis; at quamvis in ordine etiam naturali Deus praesens ubique sit, praecipua tamen ejus sedes, quia nobilissima et ei similis, in homine est. Nulla enim alia creatura templum Dei vocari potest, siquidem a nulla creatura, praeterquam ab homine aut cognosci potest aut adorari. Quis vero ex SS. Eucharistia hominem esse templum Dei non intelligat?

His positis, ad coelestem Ordinis Carmeli Reformatricis scholam accedamus. Animam

hominis castello vel palatio ex cristallo purissimo vel ex adamante confecto similem sibi effingit, in quo mansiones multae sunt, sive supra, sive infra, sive ad latera, omnes in se perlucidae; in intima autem parte ac centro habitatio seu sanctuarium Dei. Hinc Deus, sol scilicet justitiae illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, in cristallinas illas sedes ita omnes radios suae lucis emittit, ut, quantum in ipso est, nulla anima sit, quae a divino lumine et calore se possit abscondere. Quomodo autem fiat, ut non obstante cristalli natura divinaque irradiatione, alii lumine perfundantur, alii autem sint in tenebris, exponit Teresia. Etenim juxta verba Spiritus sancti : *Redite, praevaricatores, ad cor* (Is. 45, 8), et : *Desolatione desolata est terra, quia nemo est qui recogitet corde* (Jer. xii, 11), multae animae non in se, sed extra se habitant; per medias creaturarum illecebras errantes, inter immunda vitiorum reptilia volutantur et in coenum peccatorum demerguntur; oculos igitur luto plenos habentes, quantacumque et nativa sit cristalli in se luciditas, et divini luminis puritas, videre nequaquam possunt. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matt. v, 8). At si anima redeat ad se, per conversionem ad

Deum primam, mansionem ingreditur, quae cognitio sui ipsius nomen habet, quae quasi prima divini luminis aurora est; sed in hanc primam sedem multa adhuc simul ingrediuntur reptilia quae cristallum non parum maculant et divino lumini plurimum officiunt; scilicet vitia, passiones indomitae, rerum infimarum phantasiae, inordinati affectus etc. Ubi anima illa omnia a se excussit, novam ac mundiorem mansionem ingrediens, multo majori luce perfruitur. Et sic porro; quo enim magis anima se a faece creaturarum emundat, atque ad Deum majori cum ardore contendit, de mansione in mansionem transit; Deo magis ac magis appropinquans splendidiore indies Dei lumine perfunditur, donec tandem attingat Deum, neque attingat tantum, sed in eum rapiatur, ac velut per intimam ac divinam unionem, in eum demergatur ab eoque absorbeatur. Hinc admirabile Christi lumen; hinc seraphici ardores; hinc etiam quandoque extraordinaria supernaturalium donorum charismata.

Haec felici experientia pariter noverant Teresia et Ignatius. Quis jam non sentiat, eadem quae longiori sermone mirifice dilatavit seraphica Mater, cum brevissima, sed divi-

nae unctionis plena simplicitate dixisse Ignatium? Tolle cristallini palatii similitudinem, et eamdem prorsus mysticam theologiam invenies. *Quanto magis Deum attingit, eo magis se disponit,* per proprium ac generosum laborem, *ad suscipiendas gratias ac dona a sua divina ac summa Bonitate. Gratias ac dona;* gratias non tantum, quae auxilium ordinarium constituunt, sed et *dona*, quo sub nomine altissimi etiam viae supernaturalis favores venire possunt. Quid enim ille, qui dives in omnes est qui invocant illum, quid ille qui vinci se liberalitate non sinit, in animam sibi absolute devotam caelestium donorum non infundat? Nota verba S. P. Non enim ait : *a divina Majestate aut potentia,* sed *divina ac summa,* quae omnia potest, *Bonitate*. Omnia namque in bonitate et amore tunc fiunt ex parte Dei. Quis autem bonus ut Deus, quis amans ut Deus? Sic etiam conversae ad se Angelae de Foligno dixit olim Christus : *Vide, filia, utrum aliud in me sit, nisi amor.*

Quis non videat S. Patrem nostrum in hac annotatione ea adumbrasse quae ipsemet in se tam sublimiter erat expertus?

Universas igitur viginti annotationes praecedentes, ut lucido ordine disposita et completa doctrina, tam apte ad finem a S. P. proposita, perspicue appareat, uno conspectu oculis exhibere placet. Sunt enim :

I. Praevia introductio : quid sint Exercitia. . . . . annot. 1
II. Monita quaedam generalia,
1° Circa puncta praeparandae meditationis . . . . . annot. 2
2° Circa ipsam meditationis horam . . . . . annot. 3
3° Circa hebdomadarum distributionem . . . . . annot. 4
4° Circa dispositiones Exercitia accipientis . . . . annot. 5
III. Monita circa tradentis Exercitia modum agendi cum accipiente,
1° Si exercens nullas animi motiones experitur . . . annot. 6
2° Si desolatus, vel tentatus . . . . . annot. 7
3° De regulis ad discretionem spirituum tradendis.
1) In genere . . . . annot. 8

2) Circa 1ae hebdomadae regulas . . . . . annot. 9
3) Circa 2ae hebdomadae regulas . . . . . annot. 10
4° Exercens ignoret sequentia . . . . . annot. 11
IV. Monita circa modum Exercitia faciendi et dirigendi,
1° Hora integra in singulis exercitiis . . . . . annot. 12
2° In desolatione hora producenda . . . . . annot. 13
3° In consolatione :
1) Exercens nullum votum emittat. . . . annot. 14
2) Neque ad id director impellat . . . . . annot. 15
4° Si exercens ad minus bonum aberrat . . . . . annot. 16
5° Varias exercentis agitationes cognoscat director. . annot. 17
V. Monita circa personarum exercentium classes.
1° De rudibus, et debilibus . annot. 18
2° De idoneis sed impeditis . . . . . annot. 19
3° De idoneis expeditis . . annot. 20

EXERCITIA SPIRITUALIA

Ut homo vincat seipsum, et ordinet vitam suam, quin se determinet ob ullam affectionem, quae inordinata sit.

Exercitiorum titulus

Adeo non celebritate dignum, etsi in se et in effectibus suis celeberrimum, opus prodere intendit S. P., ut contra, notas quasdam tantum ordinare voluisse videatur, et titulum ipsum libelli sui, non in fronte, sed inter notas delitescere siverit. At quo modestior titulus et humiliori loco positus, eo est excellentior.

Et primo quidem notandum de Dei partibus in toto titulo nullam fieri mentionem, sed de solius exercitantis officio. Noverat certe S. P. non hominis esse justificare se et sanctificare; supernaturalis enim ac prorsus divina illa

operatio est, ac vires creatas omnes superans soli Deo competit. *Omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (Jac. i. 17). — Quod Apostolis dixit Jesus : *Sine me nihil potestis facere* (Io. xv, 5), et in se agnovit Paulus dicens : *Gratia autem Dei sum id quod sum* (i. Cor. xv, 10); hoc agnovisse et Ignatium, ex toto Exercitiorum decursu, et maxime ex oratione praeparatoria ante quodvis exercitium praescripta, ex praeambulis, ex annotationibus, ex reg. disc. spir., compertum est.

Quamquam igitur omnia in hoc ordine soli Deo sunt referenda, divina Bonitas liberum tamen hominis concursum et admittere dignatur et exigit, ut addere cum Paulo homo possit : *sed gratia ejus in me vacua non fuit :* nec corona ejus misericordiae tantum sit, sed et justitiae, juxta illud ejusdem Apostoli : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi.., in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi justus judex, non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus* (2. Tim. iv, 7). Cum ergo Deus fidelis sit, et divina Sapientia promiserit ostendendam se iis omnibus qui ad eam vigilaverint, de actione Dei non agit S. P., sed de humano concursu

tantum, in quo unice Exercitia et consequenter eorum titulus versantur.

Exercitia Spiritualia

Haec verba non titulum tantum, sed veram essentiam adaequatamque totius operis definitionem continent, librumque Ignatii a ceteris omnibus ejusdem generis distinguunt, qui pariter spiritualem animae profectum intendunt et variis nominibus designantur : *Sacra solitudo, Manresa, secessus spiritualis,* etc. Quae nomina omnia non rem ipsam, sed rei conditionem indicant, nempe secessionem et solitudinem. Quid homo ipse agere debeat in solitudine ut loquatur Deus ad cor ejus, hoc exprimit S. P. N. duobus verbis : *Exercitia spiritualia.* Neque existimet quis, nisi decipi velit, in hoc libello, exercitia inventurum se, qualia in aliis ejusdem generis libris leguntur, meditationes scilicet enucleatas et compositas, exhortationes, conferentias et affectuosas orationes. In hoc enim libello nihil tale reperiet; nam juxta sensum S. P., Exercitia non tam ex libro quam ex personali exercitantis labore corpus et vitam accipiunt. Ac-

ceptis enim aliquot brevissimis schematibus ac directione, exercitans ipse sua sibi facit exercitia. Ipsius est, post aliqualem declarationem, lumina inquirere et ciere affectus. Clavem utique dat S. P., sed non aperit; viam ostendit, sed eam percurrit exercitans, proprio labore, adjuvante Spiritu Sancto, quaerens et inveniens, indeque non exercetur, sed virium omnium intellectus et voluntatis applicatione exercet seipsum, unde illuminetur, moveatur et accendatur.

Pius quidam sacerdos cum uno ex Nostris confabulans dixit : « Per plures annos vera » S. Ignatii Exercitia quaesivi et tandem in- » veni; sed facta lectione, mire deceptus sum. » In libro illo nihil est. » Respondit Noster : « Non miror; liber ille obsignatus est, nec » habes clavem. » Et re quidem vera solus ille qui Exercitia accipit et facit, clavem simul accipit et librum aperit. Nec lectione, nec ipso studio extra Exercitia vir ullus, quantumvis doctus et ingeniosus, quid divitiarum in celebri illo libello contineatur inveniet, nisi in sacro secessu seipsum exercuerit. Unum scilicet tantum qui se non exercet habet verorum Exercitiorum elementum, libellum nempe, in quo non exponuntur sed

potius cum methodo tenenda indicantur materiae Exercitiorum; duo autem cetera, eaque essentialia desunt elementa : personalis in oratione labor, et operatio Spiritus Sancti, quae nec legenti, nec studenti, sed exercitanti reservantur.

Exercitiorum Scopus

Exercitia spiritualia, *ut homo vincat seipsum, et ordinet vitam suam, quin se determinet ob ullam affectionem, quae inordinata sit.*

Duplex est scopus, quorum alter sine priori obtineri non potest : 1. Vincat homo seipsum; 2. sui victor effectus vitam suam rite ordinet.

1. *Vincat seipsum.* In duabus istis vocibus ignatiana ascesis et spiritualitas consistit. Nec mirum est S. Franciscum Xaverium, cum ei objiceretur quod semper haberet in ore : *Vince teipsum*, respondisse : Nihil aliud audivi ac didici ex ore Patris Nostri. Et revera Ignatius nec de revelationibus, nec de visionibus, nec de ecstasibus, nec de aliis similibus extraordinariis gratiarum donis cum filiis suis sermonem miscebat, sed assidue, sed animose

repetebat : *vince teipsum* : sustine, ama, desidera, amplectere Christi dolores et opprobria : *abhorre ab omnibus quae mundus amat, et admitte, et concupisce* TOTIS VIRIBUS *quidquid Christus Dominus amavit et amplexus est; abhorre ab honoribus, a fama, a magni nominis existimatione in terra; amà et* ARDENTER EXOPTA *quae iis* OMNINO *contraria sunt, contumelias, falsa testimonia, injurias, stultus haberi et existimari... Majus ac impensius studium tibi sit, quaerere in Domino majorem tui abnegationem, et continuam in rebus omnibus, quoad poteris, mortificationem... In exercendis officiis abjectis et humilibus, promptius suscipe ea, a quibus sensus magis abhorrebit... Tentationibus oppone contraria : si ad superbiam propendes, ama exerceri in rebus abjectioribus, quae ad humiliandum te utiles futurae videantur; et sic de aliis pravis animae cupiditatibus. Tibi quaere quae sunt in domo vilissima, etc.*

Haec vera, haec genuina S. Patris spiritualitas; haec vita, quam filiis suis, hominibus nimirum ad magna vocatis, ostendit, et in venas omnes Societatis, suis exemplis, Exercitiis, Constitutionibus, diligentissime et copiose effudit. Spirituales quidem consolationes non contempsit, immo eas voluit cum gratiarum actione suscipi; sed divinas conso-

lationes ad id tantum optari posse censuit, ut vel homo se vincat, vel parta generose victoria ad majora animetur. Hinc totum in vincendo se positum est.

Nec a filiis suis tantum, hunc in via Dei procedendi modum practice teneri voluit, sed et omnibus exercitantibus, quantum pro eorum capacitate ac conditione fieri potest, communem esse voluit. Nec ulla alia sive ad perfectionem sive ad ipsam salutem via est. Ex quo enim virus suum in homines diffudit originale peccatum, ac perversus est totius generis humani sensus, nec bona sectari, nec vitare mala homo potest, nisi ipsi sibi bellum indicat ac vincat seipsum. *Qui enim amat animam suam, perdet eam, qui vero perdiderit, inveniet eam* (Io. 12, 25). — *Non veni pacem mittere, sed gladium* (Matt. 10, 34). *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (Io. 12, 24).

Haec Societatis nostrae praecipua doctrina; haec Nostris familiaris animas in via Dei dirigendi ratio est, eaque tutissima et efficacissima.

Secundus, isque ultimus perfectusque Exercitiorum scopus est, ut exercitans *ordinet vitam*

suam, quin se determinet ob ullam affectionem, quae inordinata sit.

Ordinat vitam suam, qui ita omnia disponit ut nihil non tendat ad finem ob quem creatus est. Finis autem creationis propinquior est Dei gloria in hac vita ab homine procuranda, ulterior est vita aeterna, ad quam pervenire debet omnis homo. At finis propinquior, scilicet servitium et gloria Dei, non eodem modo procurari debet ab omnibus : quum enim mandata Dei omnibus sint communia, minime communis omnibus vitae status est, et officia quae inde consequuntur. De mandatis igitur Dei, praeterquam in prima hebdomada, non agit S. P., sed de variis vitae conditionibus; ut qui statum nondum habet, aut qui habet mutabilem, inquirat quem statum amplecti debeat, in quo divinae voluntati aut beneplacito deserviat : qui autem fixus in aliquo statu est, ita vitam suam ordinet, ut in eo se sanctificet ac divinae gloriae se, quantum poterit, impendat.

Haec, quasi in semine, in verbis S. P. continentur quidem, at merito non exprimuntur, ne antequam per Exercitia ad id exercitans praeparetur, idea vocationis, illius praesertim quam intendit Ignatius, praemature sus-

citetur. Ideoque nihil in specie designat, in genere tantum dicens : *Ordinare vitam suam,* quod omni omnino homini de salute sua sollicito necessarium est.

Nemo non admittet vitam suam esse sibi ordinandam; ast in ea *bene ordinanda* tota eaque non mediocris, ut in ipso jam Exercitiorum fundamento apparebit, difficultas consistit. Ut enim vita recte ordinetur, requiretur ut exercitans, non in ordine ad se omnia disponat, sed in ordine ad Deum; jam vero ordines illi duo plerumque, vi corruptionis originalis, inter se pugnant, utpote contrarii : prior nimirum ordo, ordo non est, sed inordinatio; de essentia enim est, ac consequenter ordo exigit, ut creatura orta a Deo ad Deum tendat; posterior solus verus ordo est. Unde affectus omnis qui recta tendit ad Deum, ordinatus est; qui vero hominem avertit a Deo, ut in se conquiescat sine debita ad Deum relatione, inordinatus dicendus est, nec ipsi homini prodesse poterit. *Si quaeris teipsum*, ait Th. Kemp., *invenies etiam teipsum, sed ad tuam perniciem.*

Omnem igitur, qualiscumque ea sit, inordinatam affectionem in vita ordinanda prohibet S. P. : *Quin se determinet ob* ULLAM

affectionem quae inordinata sit. Quae prohibitio quam late se extendat, videbitur in Exercitiorum decursu; videri autem nunc omnino non debet.

Hinc intelligitur cur S. P. in capite tituli posuerit : *Exercitia spiritualia ut homo vincat seipsum.* Cum enim, propter naturae corruptionem et caecitatem, inordinate ad seipsum homo propendeat, et inde bonum suum id aestimet quod est vero bono oppositum, sequitur eum a fine suo et a vero bono erraturum, nisi sibi continuo obsistat, nisi incessanter bellum sibi indicat, nisi vincat seipsum.

Nota
circa Exercitiorum orthodoxiam

Cum plurimi, eo tempore quo invalescere coeperat usus Exercitiorum, sive ex malo in Ignatium ejusque Societatem affectu, sive propter trepidationem ob novas tunc exortas haereses, etiam ubi non erat haereseos timor; sive etiam ob stuporem propter incredibiles hominum in Exercitiis transformationes, magiae librum Exercitiorum insimularent, Sanctus Pater, positis titulo et scopo libelli sui,

notam aliquam, seu, ut ait, aliquod praesupponendum, antequam inchoarentur Exercitia, praemittendum judicavit; ne scilicet doctrina libelli in dubium vocata, fiducia exercitanti deficeret, et Exercitia ipsa magna ex parte fructu suo frustrarentur. Et hic quantae fuerit humilitatis, patientiae, moderationis ac prudentiae vir apparet luculentissime. Nam, quamvis caelitus hausisse se sciret Exercitia, non ut certam, nedum infallibilem, doctrinam suam asserit; immo nec in scenam ipse prodit, nec in specie de doctrina sua agit, sed casum in genere de quacumque doctrinali propositione in controversiam vocata exponit, eumque cum magna ratione et moderatione solvit.

Ut tam is qui tradit Exercitia spiritualia quam qui accipit, magis sese juvent ac proficiant, praesupponendum est, quemvis bonum christianum, scilicet non male affectum nec veritati et charitati infensum, *promptiorem esse debere ad salvandam propositionem proximi, quam ad condemnandam.* Quae si humilitas et charitas adfuerit, vel statim difficultas evanescet, vel, si permaneat, ea aderit animi rectitudo ac moderatio qua facili negotio solvatur.

Et si, pergit Ignatius, *non potest eam salvare,*

inquirat (non disputando, non arguendo) *ex ipso* (qui propositionem emisit) *quomodo eam intelligat*. Nihil isto consilio sapientius. Quoties enim in disputationibus accidit, ut neuter ex disputantibus claram ac justam rei controversae aut ipsorum verborum notionem habeat; unde verba multa et altercationes inutiles, quae in fine, sensu verborum clare concepto, evanescunt, non sine laesione charitatis.

Si autem, facta hac inquisitione de modo quo intelligitur dicta propositio, constat illam *male,* scilicet in sensu erroneo aut haeretico, *intelligi, corrigat illum cum amore*. Sic sentiunt Sancti, qui non seipsos, sed veritatem ipsam ad gloriam Dei intendunt. *Corrigat* quidem, quia de fide agitur, sed fiat correctio cum charitate, et *cum amore*.

Tertio tandem, *si id non sufficit,* si videlicet propositionis erroneae auctor nec rationi, nec charitati cedit, si pertinaciter errori adhaeret, *quaerat omnia media convenientia, ut ille eam bene intelligens se salvet. Quaerat,* non ex abrupto procedat, quod inordinatae passionis proprium est, quaerat ratione sola duce, *omnia media,* non quaecumque, sed *convenientia,* scilicet quae efficacia quidem sint ad convic-

tionem procurandam aut ad vitandum scandalum, sed charitati conformia et mitiora quantum fieri poterit, non ut confundatur ac erubescat ille qui errat, sed ut veritatem intelligens libenter propter exhibitam sibi charitatem accipiens, non exponatur aeternis errantium a fide tormentis, sed *se salvet*. Quam praeclarus hic habetur de correctione fraterna tractatus! Utinam sic inter catholicos, immo et inter religiosos verborum lites dirimerentur!

Quoad Exercitiorum orthodoxiam, plana omnia fieri curavit S. Franciscus Borgia. Cum enim tot ac tantae tempestates in Exercitia consurgerent, adiit summum Pontificem, qui examinatoribus ac Sacrae Inquisitioni libellum traderet et examinatum approbaret. Postulationi fecit satis Paulus III, ac Bullam vulgavit die 31 Julii anni 1548, in qua sequens approbatio legitur : « Hujusmodi supplica-
» tionibus inclinati, documenta et Exercitia
» praedicta, ac omnia et singula in eis con-
» tenta, auctoritate praedicta, tenore praesen-
» tium, ex certa scientia nostra, approbamus,
» collaudamus, ac praesentis scripti patroci-
» nio communimus; hortantes plurimum in
» Domino, omnes et singulos, utriusque se-

» xus, Christi fideles, ubicumque constitutos, » ut tam piis documentis et Exercitiis uti, et » illis instrui debite velint. »

Atque haec ipsius Ecclesiae approbatio, quanti sit momenti quis non videat, cum praesertim cadat *in omnia et singula*, proinde speciatim in regulas de electione status, quod alii nulli libro de vocatione tractanti competit.

PRINCIPIUM ET FUNDAMENTUM

Principium et *fundamentum* etsi utrumque initium sonant et ante cetera ponenda sunt, non idem omnino exprimunt, neque Ignatius adeo parcus verborum duabus vocibus significasset quod una perinde dici potuisset.

Principium, igitur non rei initium, sed primarium fontem dicit, ex quo res ipsa tota, sicut ex sua origine flumen integrum effluit. Cum autem in Exercitiis de moralibus agatur, et omnia ad unam quaestionem referantur : *Quid homini agendum ?,* ante omnia, etiam ante ipsa hebdomadarum exercitia, principia ponenda sunt, ex quibus cetera omnia tanquam consectaria deducantur. Atque principia illa, quatenus generalia sunt, theoria quodammodo vocari possunt, non tamen absolute ; nam a primo intuitu conjunctam theoriae praxim exhibent.

Quemadmodum ex fonte, seu ex principio, aquae fluminis omnes effluunt, non tamen omnes simul, sed continuo effluentes adduntur flumini; ita et in Exercitiis istis singulae partes e principio deducuntur, non quidem uno tractu, sed per continuam evolutionem, donec ad perfectionem operis perveniatur.

At de *Fundamento* dici idem non potest. Ante enim quam incipiat exstrui aedificium, fundamentum integrum constituatur necesse est; et quantum se extendet aedificium, tantum se extendit et fundamentum; nec effodi terra, et fundamenta poni possunt, quin prius totius aedificii species ac forma graphice fuerint designata, quandoquidem nulla ejus omnino pars est quae fundamento inniti non debeat. Sic Exercitiorum pars nulla est quae fundamento non innitatur, nulla quae in fundamento sui rationem non habeat, nulla quae non jam in fundamento lateat. Quae ex ipsa fundamenti explanatione patebunt.

Quum igitur *fundamentum* universam Exercitiorum molem sustineat, non magis ad primam hebdomadam quam ad ceteras pertinere dicendum est, nec proinde tamquam prima pars primae hebdomadae habendum est, sed

ut praevium quatuor hebdomadarum exercitium.

Hoc ceteroqui evidenter apparet ex documentis quae a S. P. fundamentum inter et primae hebdomadae exercitia interjecta sunt, et adjumenta praebent huic hebdomadae magis accommodata, documenta videlicet de utroque examine, de confessione et de sacra Communione.

Antequam vero de ipso Fundamento agamus, animadversiones nonnullae videntur praemittendae.

Ac primo quidem certum est S. Ignatium in Fundamento nullatenus de homine in statu mere naturali constituto agere; cum enim nunquam homo in eo statu constitutus fuerit, sed a principio ad statum supernaturalem a Deo creatore evectus, in vacuo ratiocinatus esset S. Fundator, de illa penitus inutili meditans hypothesi. Sed

Si secundo quaeris, utrum soli rationi innitatur, ac solis naturalibus donis homini concessis ratiocinando et concludendo S. P. utatur, affirmandum certe videtur, neque ipsis Christianis inutile est sola ratione duce de iis persuaderi quae in Fundamento continentur. Si enim vel solis donis naturalibus ad

eas conclusiones necessario perducimur, quid si supernaturalia fidei et gratiae dona superveniant? At haec quidem dona supernaturalia minime excludit S. P.; nam

Tertio supponit certe eum, quem ad Exercitia admittit, esse christianum, non quidem semper in statu charitatis et gratiae constitutum (nam Exercitia primae hebdomadae ad conversionem diriguntur), sed fidelem. Si enim de incredulo agitur, qui in Deum non credit, qui immortalitatem animae non admittit, qui respuit revelationem, quomodo de fundamento ipse meditationem instituet, in quo ab initio supponitur revelatio Dei Creatoris, immortalitatis animae, aeternaeque salutis quae in visione et fruitione Dei, nec ulla in re alia consistat? Adde quod immediate post Fundamenti meditationes, illico hominem in plenam revelationem projiciat, ubi ei exercitium de peccato triplici et de inferno proponit. Adde etiam quod solis illis talia qualia sunt tradi debeant Exercitia, a quibus magna possint expectari, atque eos ad sublimem perfectionem et sanctitatem provocent. Quod igitur in Fundamento de supernaturalibus non agat ex professo S. P., id fit, quia generalia tantum ac fundamentalia tractat ab

initio, ad specialia dein transiturus; ratione autem sola vult hic rem transigi, ut, juxta ingenium ipsi proprium, super rationis fundamentum aedificet, ac solidius exercitantem in veritate stabiliat.

Ergone, dicet forte aliquis, incredulos aut fideles mediocriter christianos ab Exercitiis abjecisset Ignatius? Nequaquam; sancti enim neminem abjiciunt : sed ante omnia, intimis sermonibus, atque orationibus hominem adduxisset ad fidem, ac fideliter jam credenti ea tradidisset Exercitia quae tunc, juxta annotationes, ferre posset. Mediocres autem christianos, ad Exercitia facienda suaviter induxisset, ut ex tepidis ferventes faceret.

Quibus positis ad interpretationem fundamenti, jam accedamus.

Fundamentum in quinque partes dividi potest, quarum 1ª de fine hominis tractat, 2ª de fine creaturarum, 3ª da earum usu, 4ª de indifferentia, 5ª de eligendis ad finem.

I

De fine hominis

Homo creatus est, ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat, eique serviat, et per haec (haec agendo) salvet animam suam.

Pluribus meditationum horis haec prima pars sufficit. Eam dividere, parare, exponere pro capacitate subjecti, illius erit qui tradit Exercitia, immo et repetitiones cum aliqua argumentorum et formae varietate indicere. Tanti enim momenti haec materia est, ut non ante ad alias sit procedendum, quam intime animam ista affecerit; nec nimium erit, ubi integra Exercitia fiunt, per duos vel tres integros dies in meditatione Fundamenti immorari. Quin et unus ex patribus nostris narratur per quadraginta annos hanc unam materiam propriis suis in meditationibus adhibuisse.

In memorata illa prima Fundamenti propositione, duplex in genere finis hominis exprimitur; *proximus* scilicet in hac vita procurandus : glorificatio Dei; et *ultimus,* qui in

altera tantum obtinebitur, glorificatio hominis; quae duo ita complectitur Spiritus Sanctus : *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum*. (1 Reg. 2, 30).

Sed istos fines distinctius et enucleatius exponere juvabit.

I. In hac vita, finis proximus *extrinsecus* est et *intrinsecus* :

1. Finis *extrinsecus*, isque primarius, in eo consistit ut Deum homo glorificet, eum laudando, ei reverentiam exhibendo, eique serviendo. Glorificatio ista, in hac vita, imperfecta est et inchoata.

2. Finis *intrinsecus*, qui extrinseco subordinatur, in eo consistit, ut homo virtute, perfectione ac merito proficiat, et sic ad aeternam beatitudinem perficiens et ornans se praeparetur.

Fines illi ita coincidunt, ut alter altero obtineatur, neuter sine altero possit obtineri.

II. In altera vita finis ultimus adimpletur; iterumque duplex est.

1. Finis *extrinsecus* erit perfecta Dei per hominem glorificatio, laus et amor.

2. Finis *intrinsecus* erit perfecta hominis glorificatio ac beatitudo, quae, sicut finis proximus intrinsecus, ad finem extrinsecum referetur. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* (Prov. 16, 4).

I

FINIS PROXIMUS

Tria hic consideranda veniunt : 1. Homo a Deo creatus est; ergo principium hominis est Deus. 2. Si Deus principium hominis est, est et finis hominis. 3. Si Deus est finis hominis, homo ad Deum tendere debet.

§ 1. Deus est principium

Homo creatus est a Deo, ergo Deus principium hominis est, et homo totus a Deo.

Ego homo creatus sum; constans corpore, quo similis ceteris animalibus, et anima, qua ad imaginem et similitudinem Dei factus sum. Ex parte corporis igitur vilissimus sum, ex limo terrae compactus : *Memento, homo quia pulvis es, et in pulverem reverteris;* atque in pul-

vere requiescam, donec veniat magna mortuorum resurrectio. Ex parte vero animae, nihil me nobilius, utpote qui in me refero imaginem et similitudinem infinite magni, pulchri, perfecti ac gloriosi Dei Creatoris mei. *Caelum et terra transibunt,* anima autem mea immortalis, quia spiritus est, nunquam transibit. Ergo, quamdiu vivet Deus, vivet et anima mea, immo post resurrectionem, totus, et corpore et anima, vivam in aeternum, idque vel apud Deum, vel extra Deum.

Esse accepi in hoc mundo, cum antea nihil essem, nec re, nec nomine existens; ac statio mea in hoc mundo, qui patria mea et domus mea non est, valde brevis erit : postea vero ibo in regionem novam, et in novam domum, in qua persistam in aeternum. *Breves dies hominis sunt; numerus mensium ejus apud te est... dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum* (Job. 14, 5). « Valde cito erit tecum » hic factum, ait Thom. Kemp.; vide aliter » quomodo te habeas : hodie homo est, et » cras non comparet. Cum autem sublatus » fuerit ab oculis, cito etiam transit a mente. » O hebetudo et duritia cordis humani, quod » solum praesentia meditatur, et futura non » magis providet! »

Quis me creavit, seu eduxit e nihilo? Necesse hic est ut exercitans quantam potest de Deo ideam concipiat, ut cum Angelis ipsis coram tanta Majestate moveatur et contremiscat, « quam laudant Angeli, adorant Do» minationes, tremunt Potestates; caeli cae» lorumque virtutes, ac beata Seraphim socia » exultatione concelebrant. » Ast quid tandem mundus et mille mundi, quid Sancti omnes et Angeli, quid ipsa B. Virgo coram infinita Dei essentia? Respondet ipse Deus : *Quasi non sint.* Finita illa omnia sunt, Deus infinitus; inter finita autem et infinitum, totum interest infinitum. Nec creaturae omnes et existentes et possibiles quidquam addere valent Divinitati, quia infinita Divinitas est. Si vero Deus unum tantum suae gloriae radium mihi ostenderet in hac vita, radio illo perterritus morerer. *Loquere tu nobis...* aiebant Hebraei ad Moysen, *non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur* (Ex. 20, 19). Atque ubi Joannes apostolus vidit *similem Filio hominis, cecidit ad pedes ejus, tanquam mortuus.* (Apoc. 1, 13). Profecto quantus est hominis stupor, cum ultimo efflato spiritu, repente coram infinita illa Majestate et gloria sistitur! Quid pondus omnium montium ac totius

orbis cum infinito divinae Majestatis pondere comparatum?

Quis Deus? *Ego sum qui sum.* Quis ego? *Substantia mea tamquam nihilum ante te* (Ps. 38, 6). Hinc Sanctorum, cum Deum mente tantum ac fide apprehenderent, reverentia, humilitas, tremor. Aliquam videlicet illi, quanta in hujus vitae nebulis inveniri potest, cognitionem habebant Dei. Mea vero quanta caecitas est, qui non magis moveor cogitatione Dei, quam si Deus non existeret, aut a me infinite distaret? *Quamquam non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, et movemur et sumus* (Act. 17, 27). Magisque mihi praesens est, quam ego ipse mihi. Eum non equidem video oculis meis; Ipse vero omni temporis momento me intuetur, et acies oculorum ejus ad intimam usque animae meae medullam penetrat; Illum, quocumque iero, ubicumque fuero, sive solus sim, sive in turba hominum, sive in luce, sive in tenebris, effugere minime datum est. Atque hunc Dei sensum si intime semper in corde haberem, quanta cum humilitate, reverentia, elevatione mentis ac modestia procederem, sicut Sancti incedebant pleni Deo, erecto simul et humillimo animo, dilecti Deo et hominibus, terrena

omnia contemnentes, utpote nulla aut lutosa ei qui Deum novit; *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum* (Io. 17, 3), ex qua cognitione homini, sicut Angelis, divinus ille ac deliciis plenus tremor a facie Dei, *initium sapientiae, timor Domini* (Ps. 110, 10).

Quare autem hominem creavit Deus? an ut novum quid sibi accederet, et ex creatione ditior evaderet? Absit. Si enim in aliqua re crescere posset Deus, non esset infinitus, non esset Deus, qui, cum creationis conditio essentialis sit, ut ad ipsum omnia ejus opera referantur, creavit quidem omnia propter gloriam suam, at nullum inde incrementum divinae suae gloriae accipere poterat. Quam ob rem homini, propter quem omnia facta sunt, totum cedit emolumentum. Principium igitur creationis meae solus amor Dei est. *In charitate perpetua* (ab aeterno), *dilexi te; ideo attraxi te* (ad me e nihilo), *miserans* (Jer. 31, 3). Haec origo creationis meae : Amor; neque me creaturam suam tantum ac principem creaturarum esse voluit, sed et elevans me ad statum supernaturalem, fecit me filium suum, divinaeque vitae suae, per adoptionis gratiam, participem, ut ejus felicitatis ac gloriae in aeternum

particeps esse possem. *Si autem filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* (Rom. 8, 17), aeterni ejus Filii. Quanta sit vero illa gloria ad quam me creavit amans Deus, quis enarrabit aut suspicabitur? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* (1. Cor. 11, 9). — *Videbimus eum sicuti est, facie ad faciem* (1. Io. 3, 2), et *inebriabimur ab ubertate domus ejus* (Ps. 35, 9).

§ 2. Deus, finis meus

Ast si Deus principium meum, est et finis meus. Hoc ipsemet in lib. Apoc. affirmavit : *Ego sum* alpha *et* omega, *principium, et finis, dicit Dominus Deus : qui est, et qui erat, et qui venturus est, Omnipotens* (Apoc. 1, 8). Idemque ratio ipsa ex notione creationis confirmat : Deum scilicet, si creator est, eorum quae creavit necessario et essentialiter Dominum esse. Unde dicit Ignatius : *Deum Dominum nostrum.*

Dominio, quod ex creatione oritur, nullum aliud comparari potest, cum soli Deo competat, qui solus creare valet, sitque adaequate absolutum.

Dominium autem duplex distingui potest, ubi in hominem exercetur, *possessionis* nimirum ac *jurisdictionis*.

1. Absolutum est Dei in hominem dominium possessionis.

Sicut enim qui plantavit arborem in praedio suo ejusdem possidet fructus, ita et multo magis qui mundum creavit et omnia quae in mundo sunt eduxit e nihilo, creaturarum suarum habet dominium ac possessionem, eamque unicam in suo genere, necessariam et absolutam, quae cum essentialis sit, in alium transferri absolute non potest. De essentia enim Creatoris et creaturae est, ut suam creaturam Creator possideat; neque essentiae rerum mutari possunt. Quando ergo Deus primis parentibus nostris dixit: *Ecce dedi vobis* (Gen. 2, 29), non suum abdicans in eos transtulit dominium, sed participatum concessit, idipsumque non nisi suis legibus circumscriptum. Ad Eum refluant omnia necesse est, a quo omnia fluxerunt. *Ego sum* alpha *et* omega, *principium et finis*.

Ad quid igitur omnia fecit Ille qui nullius eget? Non ut ipse iis frueretur qui est infinitus; sed ut inde gloria ejus in homine exsurgeret. Gloria autem illa, in eo sita est, quod

homo agnoscat Deum ut auctorem sui rerumque omnium, ac Deum suum, eumque ut talem laudet et amet. Atque hoc sensu ait Spiritus Sanctus : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (Prov. 16, 4). Hinc jam apparet furem coram Deo esse eum qui sibi dona Dei attribuit quasi sua, et inde gloriam sibi vindicat. *Quid habes quod non acceperis? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* (1. Cor. 4, 7).

Doctor Angelicus definit gloriam in genere *Claram cum laude notitiam. Notitia* est; ergo a solo homine potest ad Deum ascendere, cum cetera omnia quae in mundo sunt facultatem cognoscendi non habeant, nec ideo ullam Deo dare gloriam per se possint; *clara* notitia est, scilicet illustris ac magnifica, nec subobscura opinatio ac quasi suspicio sufficit, nec privata et in occulto servata, sed ea requiritur quae palam coram omnibus propagata est, vel propagari ac diffundi quaerit. Notitia ad intellectum pertinet, *laus* autem e corde ac voluntate exilit, nec solum admirationem ac stuporem supponit, sed et voluntatis dicit affectum; qui quidem affectus, juxta S. Thomam, de essentia verae ac perfectae gloriae est. Nam mirari quidem, immo et vehementer

mirari potero magnum aliquod palatium, celeberrima Alexandri, Caesaris, Napoleonis gesta, quin tamen ullo modo erga viros illos voluntate et affectu movear, ac proinde quin eos vere laudem. Laus igitur non admirationem solum, sed et amorem benevolentiae continet.

Ex his facile eruitur in quo Dei gloria consistat. Ex omni creatura videlicet gloria proveniet Deo; sed non omnis creatura per se dabit gloriam Deo; sol, luna, stellae, sylvae, pecora, ceteraque irrationalia dare ei ex se gloriam non poterunt, utpote quae nec norunt Deum : Materia tamen illa omnia erunt divinae gloriae, sed per hominem, qui solus et nosse, et admirari et amare Deum potest, eumque et in se et in operibus ejus laudare.

Caeli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (Ps. 18, 1). At cuinam enarrant caeli gloriam Dei? Cuinam omnia opera Dei, creaturae omnes, ejus existentiam, potentiam, sapientiam, scientiam, justitiam, sanctitatem et maxime amorem, ex quo omnia fecit, enarrant? Nonne homini, qui haec omnia contemplans assurgat ad cognitionem et amorem Dei? Haec gloria Dei est, quam per omnes omnino creaturas, tamquam

sibi ipsi soli omnes destinatas, homo reddere Deo potest et debet; mundus enim universus quasi immensum, de se mutum quidem, est organum, sed quod, ubi mente et corde ab homine pulsatur, suavissimum et gloriossimum edit concentum, miscens creaturarum vocem voci hominis cantantis cum Psalmista : *Benedicite omnia opera Domini Domino, et superexaltate eum in saecula* (Dan. 3).

Ceterae quidem creaturae omnes, quamvis irrationales, quantum in ipsis est, cedunt ad Dei gloriam, quia finem implent sibi praestitutum, et natura aut instinctu divinam implent voluntatem; sed eas solas creare non potuisset Deus, qui omnia propter suam gloriam operatur. Quam enim gloriam dare Deo potuissent, quem ne nossent quidem? Requirebatur ergo creatura intellectu praedita, nec tantum intellectu, sed et libera voluntate. Quam enim gloriam Deo dedisset homo ipse, si necessario, ut ceterae creaturae, et coacte Deo subfuisset eique serviisset. Hinc libertatis natura ac pretium, per quam Deo omnipotenti et infinite libero, quodammodo homo assimilatur, ac mirabile divinae gloriae instrumentum efficitur. Quam gloriosum enim Deo est, quod homo, cum liber sit, eligat laudare Deum

eique in omnibus obsequi! Quam gloriosum id, maxime post originale peccatum, quo perversus est hominis sensus, et eum ad malum inclinat atque avertit a bono! Sic se vincit homo; iis quae amat, obsistit, et quae aversatur sui victor amplectitur *propter Deum*. Quis gloriam illam non miretur, quam S. Job dedit Deo, cum omnibus malis oppressus dixit : *Sit nomen Domini benedictum!* (Job. 2, 9).

Ex dictis sequitur jus esse Dei ut in omnibus homo gloriam ejus prosequatur. Sed paucorum haec fidelitas ac justitia est. Plerumque enim illis ipsis qui se christianos profitentur, satis esse videtur si vitent quae mortalia sunt ac salvent animam suam; atque utinam nemo hanc dispositionem non haberet! alii vero et venialia vitare in genere volunt, et quaedam ex liberalitate Deo offerunt, ut preces, eleemosynas, etc; sed multa sibi, sive ad proprium honorem, sive ad propriam satisfactionem reservant. Iis omnibus plus minusve, pro eorum capacitate, leviora illa seu portabiliora, de quibus supra, tradantur Exercitia, ut a peccato mortali abhorrentes a veniali etiam peccato deliberate commisso, utpote quod Deum offendit et ad mortale disponit, absterreantur ac bonis operibus se tradant.

Ast ab iis quibus integra Exercitia dari possunt, a religiosis in specie, et maxime a filiis Ignatii, sociis Jesu, ampliora, scilicet omnia expectanda sunt. Iis antesignanus Christus clamat : *Ego gloriam meam non quaero, sed ejus qui misit me Patris.* Clamat et S. P. : *Ad majorem Dei gloriam!* Ii dicere posse debent cum Christo : *Pater, clarificavi nomen tuum coram hominibus... Nunc clarifica me, tu Pater* (Io. 17, 4). Haec aurea janua est, per quam illico fit ingressus in viam Sanctorum; quam qui non ingreditur, poterit quidem bonus esse et ad plura utilis, sed, cum non det Deo quae ei debentur, scilicet omnia, sanctus non erit; inter mediocres, aut, ut aiebant Romani, inter statarios recenseri poterit, non vero inter Patres illos nostros qui portentosa ad gloriam Dei et proximorum salutem patravere.

2. Absolutum est Dei in hominem dominium jurisdictionis. Ius illud creationi innititur, atque ab ea necessario defluit. Scilicet, qui hominem ceterasque creaturas traxit e nihilo, eas non tantum omnes possidet, idque essentialiter et absolute, sed omnium essentialiter et absolute Dominus est. Hoc ipsemet in capite legis proclamat : *Ego sum Dominus*

Deus tuus (Ex. 20, 2). Atque hoc jurisdictionis dominium in solam quidem rationalem ac liberam creaturam directe exercetur, indirecte tamen etiam in cetera omnia, in quantum nimirum hominem illa afficiunt; ideoque vires vel infirmitatem, divitias vel paupertatem, fertilitatem vel sterilitatem, honorem vel ignominiam, etc., Deus immittere potest, quin ullo jure homo de Deo conqueratur.

Ast proprie hic de Deo legislatore et imperante agitur. Sicut enim absoluta Dei auctoritas est, ita et absoluta debet esse hominis libera subjectio et obedientia. Soli Deo competit esse juris sui et a nullo pendere; omnibus autem creaturis rationalibus, sive Angelis sive hominibus, necessario, essentialiter et absolute incumbit, ut sint sub jure Dei et in omnibus ab eo dependeant; nempe soli Deo, jura : ceteris omnibus officia erga Deum; solus Deus essentialiter liber, ceteri omnes vincti legibus, nec privati tantum, sed publici etiam viri, atque hominum societates et regna mundi. Unde vocatur Deus : *Rex regum et Dominus dominantium* (1 Tim. 6, 15).

Quibus ex rebus etiam patet quam absurda, quam impia, quam scelesta sit secta illa liberalismi, quae iterum superbam Luciferi

rebellionem inter homines suscitat, et negando jura Dei, Deum negat. Non enim esset Creator ac Deus, qui jura in societatem qualemcumque absoluta non haberet. Hinc etiam patet, quanto odio quaecumque liberalismum sapiunt prosequi debeamus. Atque immo cum neque ulla sit auctoritas in hominibus quae in suo fonte non sit ipsius Dei auctoritas : *Omnis potestas a Deo;* satis apparet ipsa quoque auctoritate ac potentia Regum ac Superiorum quorumcumque, etiam auctoritatem Dei supremam affirmari.

§ 3. Quomodo tendit homo ad finem suum

Si igitur Deus principium meum et finis est, incumbit mihi, liberae creaturae, ut libere tendam ad finem meum, scilicet ad procurandam Dei gloriam.

Inde triplex mihi officium : Laudare Deum, ei reverentiam exhibere, atque ei servire. *Homo creatus est, ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat, eique serviat.*

I. LAUS DEI

Primo quidem aspectu, ex tribus illis hominis erga Deum officiis duo priora *laudare* et *revereri* facilia forte, immo et facillima, videri poterunt, ita ut tota difficultas in solo tertio, quod est *servire,* consistat. Si autem penitius res indagentur, sententia illa nonnihil videbitur immutanda. Etenim si *laus* ac *reverentia* eo sensu accipiantur, quo eas S. Ignatius et intellexit et intelligere debuit, patebit naturae per peccatum vitiatae, non minus adversari *laudare* ac *revereri* Deum, quam ipsi *servire;* immo dici poterit facile illum Deo serviturum, qui ipsum vere laudaverit ac debitam ei exhibuerit reverentiam.

Et primo quidem, cum laudandus sit ab homine Deus, si de simplici approbatione et admiratione hic ageretur, laus talis ei qui in Deum credit esset facillima. Quis enim Deum, et in se infinite perfectum, et in operibus ad extra summopere magnificum non admiretur atque extollat? Quis non exclamet : *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* (Ps. 8, 1). Ast non de ista sola admiratione hic mentio fit, quae nihil

laboris continet, quamque in ipsis doctis viris, male alias viventibus, nonnunquam reperire est; sed de illa laude quae ad veram Dei gloriam conferat, immo de illa quam *gloriam* aliis in locis promiscue vocat ipse S. P. N., cujus naturam ex definitione sancti Thomae supra exposuimus. Non ergo de sola admiratione, qua intellectus et imaginatio percelluntur et exaltantur hic quaestio est, sed de *clara* et illustri *cum laude,* cum admiratione et amore Dei tum in se, tum in operibus suïs ex amore erga me patratis *notitia*. Neque, enim ullius pretii esse posset apud Deum admiratio vix non platonica; tunc enim solum, ubi cor ex lumine intellectus et gratiae incipit accendi in Deum, incipit gloria illa, quam unice magnifacit Ille qui dicit : *Praebe fili mi, cor tuum mihi* (Prov. 23, 26). Quae omnia solus in nobis operatur Spiritus Sanctus illuminans simul et accendens. Unde ubi vere laudat homo Deum, non solum ut admirabilem Creatorem in se perfectissimum agnoscit et miratur, sed ut benefactorem, immo et optimum Patrem considerat gratissimoque corde diligit.

Exemplo sit pauper, sed bonus ac regi suo notus et gratus juvenis, qui ad castellum quoddam regium intus conspiciendum admit-

titur. Quo hic plura videt, eo etiam plus obstupescit; haec admiratio est; miratur quidem, sed non amat; immo forte, in se reflectens, non nihil invidet. Ast ecce rex apparet, qui juvenem amanter intuens : Miraris, ait, bone juvenis? Ecce castellum istud totum tuum est, nam tibi totum paratum est. Neque hoc solum, sed ex hac hora eris filius meus. Ad haec amore juvenis ille in regem exardescens, tunc solum perfectam daret regi gloriam. Applicentur ista Deo, qui introducto in mundum homini dixit : *Ecce dedi vobis* (Gen. 1, 29), et adoptavit cum in filium caelestisque regni fecit heredem. Hinc intelligis quid vere sit laudare Deum.

Atque hunc fuisse sensum a S. Ignatio intentum, ejusdemque more unico verbo *laudet* expressum, nemo dubitabit, qui sanctum Fundatorem noverit divinae laudis ac gloriae unice percupidum. Quis enim jam non videat in hac laude fundamentum quasi necessarium divini servitii consistere, ac servitium Dei sine laude illa fore difficillimum, cum illa autem onus futurum leve, ac suave jugum? Unde enim fit ut tot christiani, de sua salute ceterum solliciti, ruant in peccata plurima, nisi ex eo quod non insit iis *sensus Dei?*

Ex his similiter sequitur non esse omnino facillimum primum hominis officium, quod est *laudare* Deum. Ad hoc enim requiruntur tria quae certe in se et practice nec facilia nec communia sunt. Nam oportet eum qui Deum debite laudet, intime nosse Deum, gratum habere pro divinis beneficiis animum, ac tandem amore benevolentiae ferri in Deum.

Et primo quidem, ut mens hominis densis per originalem labem tenebris obvoluta, nec minus bonis actibus repugnans quam ad malos proclivis, ad Dei notitiam non qualemcumque, sed sentitam ac vivificatricem perveniat, requiritur ex parte Dei illustratio interna et gratia, ex parte vero hominis oratio et laboris in meditandis rebus divinis studium. Jam vero quis ignorat quam sit difficile christianos ipsos ad recitandas breves mane et vespere preces, ad orandum tempore Missae, ad cogitandum aliquando interdiu de Deo, ad invocandam divinam opem in tentationibus, adducere? Quid si eos ad meditandum, ad audiendum Dei verbum, ad pias lectiones instituendas velis disponere? Solis enim plerumque terrenis curis incumbentes, saepius omnem orationem pro taediosa poe-

nitentia habent. Hinc insensibilitas ad divina, hinc oblivio Dei : hinc et tot peccata. Ac revera christiana omnis puerorum educatio in hoc consistit, ut iis *sensus Dei* profundissimus et ars spiritualis certaminis inculcentur. Quam igitur bene Christus dixit : *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum !*

Secundo, ad veram Dei laudem grati animi sensus requiritur. *In omnibus*, ait Paulus ad Thessalonicenses, *gratias agite; haec est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis* (1 Thes. 5, 18); sequitur enim sensus ille ex ipsa cognitione Bonitatis et Amoris Dei. Cui cognitioni Dei, quatenus nihil nisi ex amore hominis creavit, multum est hic insistendum, ut in corde per intimam gratitudinem oriatur amor, qui verae ac perfectae divinae laudis tertia pars necessaria est.

Pars utique necessaria; nam quemadmodum de fide ait Jacobus : *Fides sine operibus mortua est,* ita merito Divina laus sine amore mortua dicenda est. Nam sicut fides theologica homini peccatori inesse potest, sic et laus operum Dei, seu admiratio in impiis ipsis non raro reperietur, quin ulla inde Deo accedat gloria. Quid enim accedere Deo po-

test ex eo quod homunculus propter orbis magnificentiam obstupescat? Cor, cor solum glorificat eum qui de seipso dixit : *Deus charitas est,* cujusque primarium est ac summarium praeceptum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua* (Mat. 22, 37). Ut autem suo amore nos ad amorem provocet, quasi totus videtur in exponendis sui in nos amoris manifestationibus : *Ego sum Dominus Deus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. — Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci?* (Is. 5, 4). — Et Christus ipse : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (Io. 3, 16). Joannes autem, amoris ille discipulus : *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus* (1 Io. 3, 1). Quanta in monte Calvario, quanta in maximo signo amoris sui, SS. Sacramento divinae dilectionis testificatio! *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (Gal. 2, 20).

Quae si ad cor usque penetrarent, quam suave et optabile divinum esset nobis servitium! Ideo David non simpliciter dixit Deo : *doce me justificationes tuas,* sed : *Bonus es*

tu, in bonitate tua doce me justificationes tuas (Ps. 118).

Jam ergo de diversis divinae laudis exercitiis dicendum; ex quibus patebit quam naturaliter laus illa ad ipsum servitium conducat.

Laudandus est Deus ore, corde et opere :

1° *Ore* laudatur Deus per orationem quamcumque vocalem, in qua semper agnoscitur ut Deus, scilicet ut Dominus, ut origo omnium bonorum, ut fons bonitatis et misericordiae. Nulla enim fit oratio quin implicite fidei, spei, charitatis, religionis atque humilitatis actus exerceantur. Ac profecto sublimem nobis in Psalmis, in sacra liturgia et maxime in dominicali prece orandi materiam ac modum praeparavit et divinae suae gloriae adaptavit ipse Deus!

2° *Corde* laudat Deum, qui semper, qui in omnibus, amat Deum super omnia. Non enim curat Deus laudes quae in solis labiis sunt, nec de corde procedunt : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me* (Mat. 15, 8), sed cor nostrum, id est, amorem nostrum concupiscit : *Praebe, fili, cor tuum mihi.*

Amando igitur laudem Deo tribuit ille, qui

a Spiritu Sancto actus libenter affectu fertur in Deum. *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum* (Ps. 83, 3) : amat praesertim ille, qui se integrum ex filiali affectu Deo committit, qui a divina ejus ac paterna Providentia non minus mala quam bona aequo ac grato animo suscipit. Sic sublimissime amavit S. Job, cum in suprema corporis et animae desolatione dixit : *Sit nomen Domini benedictum.* Quis post hoc miretur sibi Deum ex tam admirabili laude esse gloriatum? *Numquid considerasti servum meum Job* (Job. 1)? Pariter Deum laudavit Franciscus ille Salesius, cum diabolica fraude deceptus atque existimans aeternae se damnationi devotum, totis cordis medullis Deum exorabat, ut, siquidem mortuus eum amplius amare non valeret in inferno, in hac saltem vita eum totis viribus amaret.

De mirabili divini amoris effectu lege c. 5, lib. iij, de Imit. Christi.

3° *Opere* laudat et amat Deum qui non tantum mandata servat : *si diligitis me, mandata mea servate* (Io. 14, 15), sed et cultum Dei promovet, Ecclesiam defendit, operibus tum corporalis tum spiritualis misericordiae se impendit. At nemo excellentius Deum opere laudat, quam qui spreto mundo seseque

mundanis omnibus exuens, consilia evangelica amplexus, Christi in salvandis animabus se coadjutorem constituit. *Omnium divinorum divinissimum est,* aiebat S. Dyon. Areop., *cooperari Deo in salutem animarum.*

II. REVERENTIA DEI

Ei reverentiam exhibeat : his verbis secundum hominis erga Deum exprimit S. P. officium. Neque hoc officium si rite intelligatur ac perpendatur, adeo facile existimari poterit, ut ex dicendis patebit et ex experientia satis innotescit. Magnam quippe et fidem et animi fortitudinem supponit.

Reverentia Dei tum interna, tum externa est. *Interna* reverentia profundum divinae atque infinitae Majestatis sensum requirit; qui quidem sensus donum Spiritus Sancti est, nec mediocrem spiritum orationis praesupponit : sensus nimirum ille sanctus est magni et ubique praesentis Dei timor. *Deum time, et mandata ejus observa* (Eccle. 12, 5); vides timoris seu reverentiae consequentiam, mandatorum observantiam? Sane ante omnia et super omnia amandus Deus est; sed amorem reve-

rentia tantae Majestatis semper comitetur necesse est. Immo saepius, ubi amor ad arcenda peccata non sufficiet, sufficient timor ac reverentia; hinc justum dicit Scriptura *virum timentem Deum* (Tob. 2, 9). Ubi vero sanctus ille timor amori non subest, jure merito suspectus sit amor. Veri enim amoris necessarium ac genuinum fundamentum est aestimatio ac reverentia.

Porro *externa* reverentia internae reverentiae manifestatio est, quae ambae duplici sensui innituntur, primo, magnitudinis Dei, secundo, propriae vilitatis : unde vera humilitas. Hinc etiam dici poterit externa reverentia internae humilitatis professio; ac quantum Deo placet humilitas, tantum ei placet illa reverentia; ast ex alia parte quam difficilis est humilitas, tam est difficilis vera et perfecta reverentia.

Jam vero reverentia illa externa requiritur : 1. In tota vitae christianae ratione, propter Dei praesentiam. Hinc modestiae virtus. 2. In oratione in specie, uti videre est in tertia annotatione et in additionibus; sine illa enim reverentia, devotio in oratione fit impossibilis, atque oratio ipsa cum suis propriis fructibus evanescit. 3. In professione fidei coram

hominibus, qua de *respectu,* ut aiunt, *humano* refertur victoria. Quo enim modo fit ut permulti Christiani, mandata divina atque ecclesiastica publice transgrediantur, quae tamen vel imo in corde agnoscunt et aestimant, vel etiam in vita privata forsan observare conantur? Nonne ex respectu humano, scilicet ex defectu reverentiae erga Deum, quoniam nempe hominem etiam impium et contemptibilem magis quam Deum ipsum, universorum Creatorem ac Dominum, reverentur? Ad haec igitur Christus : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in caelis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.* (Matt. 10, 22).

Qui ergo vere laudat Dominum Deum suum, ut talem, ac debitam ei exhibet reverentiam, is Deo quasi necessario serviet, jugumque habebit suave ac onus leve. Si e contra nec erga Deum afficitur, nec eum reveretur, jugum inveniet ob naturae corruptionem, durissimum et non portabile onus. Unde fit ut tot fideles quamvis et salvi fieri cupiant et ab aeterno eximi supplicio, tamen ruant a peccato in peccatum? Sensu nimirum Dei penitus carent.

III. DEI SERVITIUM

Eique serviat : hoc est tertium hominis erga Deum officium, illudque ad salutem absolute necessarium.

Et primo quidem, ne servorum Dei conditionem abjectae servorum romanorum ac barbararum gentium conditioni assimilem existimemus; quantum enim distat a vilissimo homine Deus, tantum distat servus Dei a servis hominum. Summus enim gloriae apex ad quem humana conditio possit pertingere, servitus Dei est, nedum quid haec servitus abjectionis redoleat. Dicit enim de divino servitio S. Mater Ecclesia : *Cui servire regnare est* (in ordin. subdiaconi).

Quid enim est servire Deo, nisi suam divinae voluntati conformare, ac obedire Deo; per fidem ea scire, quae scit ac revelat Deus; idem quod Deus vult et facit, libere velle; ac proinde Deo ipsi esse similem; scilicet ad culmen altissimum, quo ascendere creatura possit, pervenire? Utique igitur qui Deo perfecte servit, nihil supra se habet nisi Deum, sub se vero creata omnia, omnia vitia et infernales ipsas potestates. In altera autem vita,

regnum istud consummabitur in gloria : *Et regnabunt in saecula saeculorum* (Apoc. 22, 5).

Qui vero Deo servire negat, continuo abjectissimus, et mundi, et peccati, et turpium affectuum, et ipsius diaboli servus efficitur; ita ut qui non est Dei servus, eo ipso peccati et diaboli servus sit dicendus, neque extra Dei servitium quidquam aliud sit praeter servitutem. *Omnis qui facit peccatum,* ait Jesus, *servus est peccati* (Io. 8, 34).

Servire igitur Deo nihil aliud est, quam suam divinae voluntati libere conformare.

Jam vero duplicis generis est divina voluntas : alia enim vocatur *signi,* scilicet, imperans atque consequenter vel sub gravi, vel sub levi, pro rei gravitate, obligans. Huc spectant mandata omnia Decalogi, mandata Ecclesiae et eorum omnium qui legitima, ideoque a Deo procedente, auctoritate insigniti sunt. Alia dicitur voluntas *beneplaciti,* quae proprie per se sub peccatum non cadit, sed ea proponit ac suadet quae simpliciter Deo placent, quae scilicet ipsi, utpote perfectiora in votis sunt.

Hinc tres in divino servitio gradus distingui possunt, cum tribus modis humilitatis, etsi non adaequate, mire tamen concordantes.

Primus enim gradus, sicut primus modus humilitatis ad salutem necessarius, in eo consistit, ut nos Deo ita submittamus, ut neque ad lucrandum mundum universum, neque ad mortem vitandam, ullam quae nos sub peccato mortali obliget, legem transgrediamur, aut de ea transgredienda voluntarie deliberemus. Quae cum divina voluntate conformitas per se quidem ad vitandam damnationem sufficit; qui tamen ea contentus, non curat venialia, eaque facile committit, quia venialia sunt, minis Spiritus Sancti subjacebit dicentis : *Qui spernit modica, paulatim decidet* (Eccli. 19, 1). Destructa enim sepe, praedatori vineam aperit, nec facile, incursantibus hostibus, speciali Dei praesidio destitutus, diu resistet.

Secundus vero gradus secundo humilitatis modo similis, in eo consistit, ut Deo ita nos submittamus, ut neque pro toto mundo possidendo, neque pro morte vitanda, peccatum veniale committamus, aut de eo committendo voluntarie deliberemus. Atque vere de iis qui ita sunt dispositi, jure merito dicit Christus : *Jam non dicam vos servos... sed amicos* (Io. 15, 15). Nec gradus iste ullatenus differt quoad rem a secundo humilitatis modo.

Atque similiter iterum, quod ait S. P. scil., tertium humilitatis modum praesupponere et primum et secundum, idem est de tertio divini servitii gradu dicendum.

Tertius enim gradus, isque perfectissimus, in eo consistit, quod Dei servus non impositam ac imperantem tantum Dei voluntatem etiam in minimis fideliter observet, sed et beneplacentem; quae res non obedientiam solum, sed et eximium amorem supponit. Hic gradus, prout verbis sonat, universam perfectionis materiam exhibet; tertius autem humilitatis modus apicem tantum charitatis tamquam perfectionis formam proponit, paupertatem scilicet et abjectionem ex purissimo Christi pauperis et abjecti amore. Qui igitur ad hunc tertium divini servitii gradum pervenit, paratus ac dispositus est ad omnia; simul est et praeclara imago Christi Jesu, tenerrima haec et amantissima verba proferentis : *Quae placita sunt Ei facio semper* (Io. 8, 29). Quemadmodum ergo secundus gradus rationem suam habet in indifferentia, quae in Fundamento subsequitur, ita tertius ex ultimis verbis eruitur : *Unice desiderantes et eligentes quae magis nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus.*

Haec ideo diximus, non ut exercitanti in ipsa Fundamenti consideratione exponantur, ac praemature de modis humilitatis sermo fiat, sed ut homini Societatis studio Exercitiorum vacanti pateat, quam vere universorum Exercitiorum germen in fundamento lateat, quamque perfecte in libello S. P. omnia cohaereant ac se invicem excipiant.

Unum addamus, quo idem confirmatur, in eo nimirum verbo : *cique serviat* totam velut in semine contemplationem illam de Regno Christi, quae ulterius post primam hebdomadam reliquorum Exercitiorum fundamentum est, contineri. Quid enim aliud in illa contemplatione S. Fundator intendit, nisi ut homo a peccato jam et ab inordinatis affectionibus liber totum se generose Regis aeterni servitio tradat ac mancipet?

II

De fine hominis ultimo

Et per haec (haec agendo) **salvet animam suam.**

Quare S. P. dicit hominem creatum esse *ut laudet Deum, ei reverentiam exhibeat, cique ser-*

viat, non vero statim : *ut salvet animam suam?* Certe quidem gravis obligatio homini incumbit salvandi animam suam; qui finis est creati hominis intrinsecus ultimus, ut scilicet Deum in perpetuum facie ad faciem cum immensa felicitate et gloria contempletur. Unde et sequitur primarium hominis officium esse ut ad hanc felicitatem tendat, sicque ante omnia Deo suo ac tam amanti Creatori vicem reddat, ejusdem Domini voluntati ante omnia obsecundando. Quomodo enim Deus creaturam intellectu ac libertate praeditam beatam facere posset, quae nec Ipsum ut Deum adorare, nec ei ut Domino servire consentiret? quae adversus suum Creatorum rebellaret, eumque ut patrem habere et colere detrectaret?

Propterea igitur non primo enuntiatur in Fundamento hominem creatum esse, ut salvet animam suam. 1) Ut glorificatio et servitium Dei, primarius ille divini operis finis, magis extollatur, utpote maxime essentialis; etenim *Universa propter semetipsum operatus est Dominus;* et : *gloriam meam alteri non dabo,* nec dare potest. *Ego sum* alpha *et* omega, *principium et finis.* 2) Quia ad practicam praesentem vitam magis immediate spectat triplex

illud laudis, reverentiae et obedientiae officium. Igitur :

I. Salus animae nostrae divini servitii consequentia est; *et per haec (hacc agendo);* si homo in praesenti vita Deo gloriam per legitimum suae libertatis usum dederit, Deus ipsum salvum faciet. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum* (1. Reg. 2, 30); quae consequentia ita ineluctabilis est, et de rei essentia, ut unum sine altero existere non possit. Immo qui unice de divino servitio esset sollicitus, suam salutem, si fieri posset, non attendens, is certo ac infallibiliter salutem suam, et quidem amplissime consequeretur. Quo enim magis sui quis immemor est, ut non suum, sed Dei bonum quaerat, eo melius Deum glorificans, sibi simul ipsi consulit. Neque hoc intellexit tantum, sed et perfecit atque in se expertus est Sanctus Ignatius, qui adeo nihil a conversione sua ad mortem usque spiravit praeter majorem Dei gloriam et amorem, ut maluisset, si major exinde Deo gloria provenisset, diutius incertus salutis vivere, quam statim moriendo in caelum ascendere.

Id autem saepe plerique hominum non intelligentes, propriumque bonum unice cogitantes, bonum Dei negligunt ac suum pariter

amittunt : Cujus rei causa ab originali culpa repetenda est, qua falsum lumen et falsus amor in lapso homine est procreatus. Qui amor proprius tam a vero aberrans, atque amori Dei tam infensus infernum, ut ait S. Teresia, creavit; ubi vero non eo usque crescit, ut in peccatum mortale inducat, etsi aeternam salutem non pessumdet, perfectionem certe reddit impossibilem. « Si quaeris » teipsum, ait Thom. Kemp., invenies utique » teipsum, sed ad tuam perniciem. »

II. *Salvet animam suam.* Haec consequentia, salus nempe animae, summi momenti est ac summopere perpendenda. *Quid* enim *prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua* (MAT. 16, 25)? At quid est salus animae? Nonne ipsius Dei infiniti finita quidem, sed ea realis visio et possessio? Jam si vel leviter perpenderis quid sit facie ad faciem videre Deum sicuti est, infinite pulchrum, infinite amabilem; quid sit ineffabiliter ab eo amari ac suavissimo in Eum amore ardere, ipsius gloriae ac felicitatis abysso absorberi, divinoque ipsius voluptatum torrente inebriari, in Ipsum tandem mirabiliter transformari in aeternum; quid

sit cum B. Virgine, cum Angelis, cum omnibus Sanctis sine fine vivere; quid, quaeso, labor mortificationis et abnegationis paucorum annorum esse videbitur? *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* — *Momentaneum et leve tribulationis supra modum immensum gloriae pondus operatur in nobis* (2 Cor. 4, 17). — *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum* (1 Cor. 2, 9).

Ex opposito autem damnatio aeterna noscitur esse carentia omnis boni absoluta et aeterna, aeterna et malorum omnium congeries in inferno, ubi nunquam videbitur lumen, sed erunt densissimae tenebrae et flammae, fletus et stridor dentium, ululatus, clamores, et atra desperatio! O aeternitas infernalis, quae initium habet, sed non habet finem? O culpa brevis, ac brevis vita, vapor ad modicum parens, et interminabilis cruciatuum aeternitas! Et quidem mea erit aut una aut altera aeternitas : Velim nolim, sanctus ero vel damnatus!

Porro sors mea in manu mea est. Deus enim quantum in se est, etiam per sanguinem Filii sui, meae saluti amantissime providit; ast

quoniam conditio salutis meae in recto libertatis meae usu constituta est, qui solus me creavit, non servabit me solus; nec alius me servabit; hoc ergo meum ipsius ac solius opus est.

Est igitur, cur et ego quicumque sim, etiam sacerdos aut religiosus, *cum timore ac tremore salutem* meam operer. Cum enim duobus dominis, Deo et sibi ipsi, nemo servire possit, nullus vere ac perfecte securus est, nisi qui sibi mortuus soli Deo vivit.

III. Consequentia illa « *salvet animam* », non ejusdem pro omnibus pretii est. Cum enim aliud sit salvari simpliciter et non damnari, aliud excellentiorem aeternae beatitudinis gradum ascendere, quandoquidem *in domo Patris mei mansiones multae sunt* (Io. 14, 2); atque *alia claritas solis* sit, *alia claritas lunae, et alia claritas stellarum : stella enim differt a stella in claritate, sic et varia erit resurrectio mortuorum* (1 Cor. 15, 41); illis qui omnia pro Deo reliquerint, dixit Jesus : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (Mat. 19, 58); de illis vero qui doctrinae apostolatum conjunxerint, ait Daniel Propheta : *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae* (in firmamento Sanctorum) *fulge-*

bunt in perpetuas aeternitates (Dan. 12, 3). Illis enim, utpote servatoribus animarum, specialis atque insignis gloria superaddetur, gloria nempe Servatoris Christi Jesu, cujus erunt participes in aeternum.

II

De fine Creaturarum

Et reliqua super faciem terrae sita, creata sunt propter hominem, et ut eum juvent in prosecutione finis, ob quem creatus est.

Tribus omnino omnia continentur : 1. Deus Dominus, 2. homo, 3. reliqua super faciem terrae sita. Verumtamen multi homines, ordinem invertentes, primo loco reliqua ponunt, deinde hominem, ac tertio tandem Deum. Jam vero quid sunt reliqua super faciem terrae sita, de quibus hic agitur?

Reliqua omnia illa dicuntur quae non ipse Deus sunt aut persona hominis. Dicimus autem *personam hominis,* quia multa tum quoad corpus, tum quoad animam, in tanta personarum varietate ad *reliqua* illa sunt referenda, qualia sunt : Terrena bona omnia, sicut et paupertas, dotes animae et corporis; indoles eorum quibuscum vivitur; vicissitudines per-

sonarum, eventuum, regnorum; variae caeli tempestates; privatae vel publicae calamitates; sanitas aut infirmitas; benevolentia aut persecutiones hominum, vita brevior aut longior; quaecumque vel jucunda vel ingrata accidunt; varii animae sensus; interna consolatio et desolatio; tentationes et tristitiae; pax aut timor; jucunda et honorifica munia et officia, vel e contra injucunda et humilia; talis aut talis vitae status; quibus adde et variarum naturalium scientiarum objecta quae sive in terrae nostrae visceribus, sive in ejusdem superficie, sive in mundi nostri astris et spatiis reperiuntur, etc, etc.

Quae omnia in se tam parvi facit Ignatius, tamque exilia et fugitiva existimat, ut ne nomine quidem alio nisi vulgari contemptibilique voce *reliqua,* ubi cum homine et maxime ubi cum Deo illa comparat, appellare eadem dignetur. Quanta vero in plerisque hominum caecitas, qui ut reliquorum illorum particulis per aliquot annos potiantur, a Deo, omnium bonorum fonte infinito recedunt atque æternam incurrunt damnationem!

Finis igitur creaturarum, quem in reliquorum illorum sive creatione, sive permissione Deus intendit, duplex est. Nimirum :

I. Reliqua illa *creata sunt propter hominem.* Omnium ordo hic est : Homo propter Deum, reliqua propter hominem, id est, ex amore atque ex dono Dei.

Propter hominem; nam nisi homo, creatura videlicet rationalis et libera existeret, nulla esset ratio sufficiens cur reliqua illa existerent : quid enim illa omnia Deo profuissent, quove modo ejus gloriam procurassent?

Propter hominem : non homo propter illa, quae absoluta foret perturbatio, ex qua peccata omnia.

Propter hominem, erga quem scilicet gratuita liberalitas purissimusque Dei in hominem amor declaretur, quo sensus gratitudinis erga divinam Bonitatem, necnon in ipsis adversis, fidei spiritus, atque remissio animi cum candida filialique fiducia excitentur ac confortentur.

Propter hominem, nimirum Ut hominis necessitati, utilitati, necnon oblectationi serviant.

1. *Necessitati :* huc veniunt necessaria ad sustentationem corporis : cibus, potus, vestimentum, habitatio, etc. *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* (1 Tim. 6, 8). Omnibus quidem in genere, atque adeo etiam

impiis et peccatoribus de his Deus providet, nisi majus hominis justi bonum, v. g. martyrium, aliud exigat. *Junior fui,* ait Psalmista, *etenim senui; et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem* (Ps. 36, 25).

2. *Utilitati,* non necessitati tantum, abunde providit Deus, tum in ordine naturali, quoad victum, vestitum, habitationem, ingenium quo ex variis materiae elementis inter se compositis innumera sibi commoda homo comparet; tum in ordine gratiae, de quo merito Deus dicere potest : *Quid ultra potui facere vineae meae, et non feci?* Quid non fecit Jesus? *se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium; se regnans dat in praemium* (off. div.).

3. *Oblectationi.* Vere hic amantissimum patrem se erga me Deus exhibens, non alium suae Bonitatis effusionibus terminum posuit, nisi ipsammet Bonitatem, ne videlicet homo terrenarum deliciarum irretitus illecebris, caelestes atque aeternas divitias per peccatum amitteret. Unde et Ecclesia orans optat nos *sic transire per bona temporalia, ut non amittamus aeterna.* Nec tantum necessarios aut utiles, sed delicatissimos etiam nobis paravit cibos, vina omnis generis dedit in potum;

delectavit oculos agrorum, sylvarum, florum pulchritudine; aures, avium concentibus; odoratum, aromatibus; ipsum intellectum, tanto tamque splendido rerum ordine, qualem in variis scientiis, puta in physica, in chemia, in botania et zoologia, in astromonia invenimus et admiramur. Sed quid haec si cum spiritualibus donis ac deliciis comparentur, quibus Sancti, Dei amici, perfruuntur et inebriantur? Quid si cum aeterna felicitate?

II. Finis alter creaturarum : *et ut eum juvent in prosecutione finis, ob quem creatus est.*

Prioribus verbis : *propter hominem, finis cui* data sunt ac destinata illa omnia enuntiabatur; at nunc *finis qui* obtinendus est, ac propter quem homini, tamquam *fini cui* illa concedebantur, jam a S. P. N. exponitur; ex quo velut ex fonte ea omnia quae in reliquo hujus fundamenti textu dicenda supersunt, dimanabunt.

Finis igitur iste practicus creaturarum est *ut juvent in prosecutione finis :* in hoc summum rerum momentum, a quo omnia practice dependent, et in quo prior ille finis delimitatur ac restringitur. Certe enim et oblectationem hominis, dum creaturas eduxit e nihilo Deus, intendit, ita tamen ut fini essentiali hominis

oblectatio nullatenus officiat. Ideoque S. P. non ait simpliciter *ut juvent hominem,* sed ut juvent *in prosecutione finis ob quem creatus est;* qui finis alius esse nequit praeter divinam gloriam. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.*

Practicum apud mundi sectatores principium est : *ut juvent* simpliciter, non addito : *in prosecutione finis,* etc. Unde fit ut, vel ex professo, vel quasi sponte ac natura, quoties de admittendo vel non admittendo creaturarum usu agitur, intra se deliberent, an juvet ad honorem, ad divitias, ad voluptatem; scilicet in praesentibus defixi, nec ad Deum, nec ad aeternitatem attendentes; immo qui aliquo modo et de divina lege et de sua salute sunt solliciti, ideo gravia Dei mandata nonnihil curant, ut ne in aeternum damnentur. Sic omnes divinum ordinem penitus subvertunt, omnia, et Deum ipsum, ad se dirigentes, cum Deus centrum sit rerum omnium, et omnia ad Eum convergere debeant.

Jam age, hominem in prosequendo fine ob quem creatus est, triplici modo creaturae juvabunt : *contemplatione, usu, abstinentia.*

1° *Contemplatione.* Nam cum homo creatus sit ut Deum Dominum nostrum *laudet,* egre-

gie juvat operum ejus ex amore prodeuntium contemplatio, qua homo, ut ait R. P. Roothaan, « ascendit ex consideratione creatura-» rum ad cognitionem Creatoris; *invisibilia* » *enim ipsius per ea, quae facta sunt, intellecta* » *conspiciuntur* (Rom. 1, 20); ad cognitionem, » inquam, illius increatae sapientiae, poten-» tiae, bonitatis, pulchritudinis, etc. »

Sic S. Barbara legitur apud Croiset, inclusa a patre in turri, ex astrorum et terrarum contemplatione ad veri Dei cognitionem et amorem pervenisse. Quam praeclara quoque quamque angelica suavitate plena de S. Francisco, deque ejusdem filio S. Antonio narrantur, cum de avibus ille, hic de piscibus ascendebant ad divinae Bonitatis contemplationem! Ignatio vero Patri Nostro simplicis flosculi aspectus satis erat ut in amoris extasim raperetur. Sed ad haec magna requiritur animae puritas ac simplicitas. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Multo aliter vero se habet *animalis homo* qui *non percipit ea quae sunt Spiritus Dei;* at peccatores et impii *quaecumque ignorant, blasphemant; quae autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.* (Jud. 10).

2° *Usu;* Creaturis, ait P. Roothaan, « pro

» necessitate, utilitate, honesta etiam oblec-
» tatione, et pro facultatum suarum, seu cor-
» poris, seu animi exercitatione, recte uten-
» do. » Dictum est *pro honesta oblectatione;* non enim rerum jucundarum creationem Deus instituit, ut semper ab iis homo abstineret, nec ut iis soli sui hostes fruerentur; quinimmo censendus est pro amicis suis eas eduxisse e nihilo, qui ex agnitione bonitatis illius, caelestem Patrem tam in filios amantem et munificum amarent ac grato animo laudarent. Quis enim credat ideo et vites, et lepores et altilia, variaque delicatorum pomorum genera Deum creasse, ut ea soli haeretici atque impii deglutirent, filii autem ejus ab iis omnibus recederent, ac solo miseriae pane semper vescerentur? Etenim viri spirituales ex tali oblectatione in amorem Dei rapiuntur! *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (Rom. 8, 28).

3° « *Abstinentia,* ait P. Roothaan, ab earum
» usu, temperantiae et mortificationis virtute,
» abstinendo. » Pergitque egregie idem Pater:
« Ex his tribus modis, primus absque dubio
» est *nobilissimus;* secundus *communis;* tertius,
» cujus in statu naturae integrae, ex Creatoris
» praecepto, applicatio erat minima et facilli-
» ma, in praesenti naturae corruptae, maxime

» *necessarius* est, ejusque frequens esse debet » usus ac vixnon assiduus; adeo ut, nisi ter- » tium hunc (abstinentiae) modum in creatu- » rarum usu exerceamus, nunquam simus fu- » turi fideles ac moderati in *secundo,* et ad » *primum* exercendum prorsus inepti. Nisi » enim homo in usu creaturarum sibi imperet, » propriaeque voluntati et inclinationi na- » turae multa neget, certo certius et in illarum » usu modum excedet, neque ex illarum con- » sideratione ad Creatorem ascendere poterit, » sed iis ipsis haerebit affixus et infixus. *Si* » *dederis animae tuae concupiscentias ejus, faciet* » *te in gaudium inimicis tuis.* » (Eccli. 18, 31).

III

De recto creaturarum usu

Unde sequitur, homini tantum utendum illis esse, quantum ipsum juvant ad finem suum, et tantum debere eum expedire se (retrahere se) **ab illis, quantum ipsum ad eum** (finem) **impediunt.**

Et primo quidem redeamus ad primarium principium : Deus est *alpha* et *omega,* principium et finis. *Universa propter semetipsum opera-*

tus est Dominus. Igitur quamtumvis Deus *reliqua* propter hominem creaverit, non potuit tamen ista propter hominem ita creare, ut homo non omnem creaturarum usum ad laudem et servitium divinae Majestatis referret; quandoquidem lex universalis haec est, nec ullam exceptionem potest admittere : *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad Dei gloriam facite* (1 Cor. 10, 31). Neque ait Apostolus, *ad majorem Dei gloriam,* quod quidem consilii est et perfectionis; unde et vita religiosa, quae certe majoris Dei gloriae est, non obligat per se, sed inter evangelica consilia recensetur : obligat autem vita christiana.

Hinc, ubi de practico creaturarum usu agitur, nexus inter duplicem finem supra dictum, hominem scilicet *finem cui,* et hominis adjumentum *finem qui,* luculentissime apparet; siquidem practice creaturarum usus talis semper esse debet, ut ad finem hominis juvet. Vel enim ad laudem et amorem Dei, vel ad ejus servitium colliment omnia necesse est.

Unde sequitur, etc. Hanc consequentiam luculenter exposuit R. P. Roothaan : « Haec est » consecutio, quae ex praemisso principio de » fine creaturarum sponte sua fluit. Etenim,

» si creaturae omnes reliquae sunt propter » hominem et ut eum ad suum finem juvent; » profecto, ut illis vel utamur vel abstinea- » mus, illud praecipue in illis spectandum » est, an juvent revera, necne. Proinde, si » quae vere juvent ad finem, admittendae, et *in* » *tantum* admittendae *in quantum* juvant, NEC » PLUS, NEC MINUS. Contra, si quae ad finem » impediant, vitandae, rejiciendae, et *in tan-* » *tum* vitandae, *in quantum* impediunt, NEC » PLUS, NEC MINUS. Haec enim est ratio » eorum, quae *media* sunt, quae *instrumenta* » sunt, ut illud praecipue, immo vero illud » unice in illis spectetur, an et quantum *media* » sint, *instrumenta* sint, apta et idonea ad » finem, ad opus. Si apta, si idonea non » sint, jam media non sunt, instrumenta non » sunt; multoque minus, si ad finem, si » ad opus, quod exsequendum est, impe- » diant. »

« Hoc verae sapientiae (non secundum car- » nem, sed secundum spiritum) principium » est, cujus applicatione practica vita vere ac » proprie ordinatur secundum rectam ratio- » nem : ut scilicet *finis* prae oculis habeatur » semper ut *finis, media* ut *media,* nec nisi ut » *media. Fine* semel rite intellecto, ac praesti-

» tuto, *media* ad *finem* propter solum finem » appetenda et adhibenda.

« Porro hujus principii practici applicatio » propemodum est infinita. Et vix fieri potest, » ut serio quis principium hoc ad vitae suae » rationem applicare incipiat, quin mox in- » ordinationem multiplicem in omni vita sua » deprehendat. Quia enim homo verum hunc » finem creaturarum omnium e mente ac me- » moria elabi sibi plerumque sinit, et solum » ferme quid *placeat,* quid *displiceat* cogitare et » considerare ante omnia consuevit; hinc in- » ordinatio, hinc imperfectio omnis, hinc pec- » cata. Sane, *placeant* illae sensui, vel *displi-* » *ceant,* haec ratio illis utendi vel non utendi » profecto est *nulla*. Nam et quae *placent*, pos- » sunt impedire, et persaepe impediunt; et » quae *displicent,* possunt juvare, et persaepe » juvant, et plerumque maxime juvant, nec » raro juvant unice. At nos plerumque adversa » sensui fugimus, horremus, minus iis utimur; » sensui jucunda appetimus, quaerimus, ad- » mittimus, iis utimur aut etiam fruimur, nec » modum servantes nec ordinem. Hinc omnis » mali labes! »

« Est autem haec applicatio facienda pro » ratione personarum. Nam aeque ad homi-

» nes mundanos pertinet, ut peccatorum caeno » immersi aliquando se respiciant, et vitae » spiritualis ac perfectae sectatores, perfectio- » nis impedimenta tollant. »

Quae R. A. P. de applicatione pro ratione personarum modo explanavit, omni sunt consideratione digna. Nam si illa : *tantum — quantum, — nec plus, — nec minus,* sola ipsa ratio ab homine, ex eo quod homo sit, requirit, altissimam tamen perfectionem comprehendunt; proindeque, quamquam religiosis atque omnibus perfectionis asseclis perfecte conveniunt, ac ceteris, etiam mundanis, proponi debent, tamquam cum aliqua proportione res prorsus necessariae, perfecte tamen exigi, immo in toto suo rigore mundanis proponi vix possunt; cassus enim esset labor, immo forte et noxius. Quapropter cuique offeratur onus quod ferre valeant humeri. Sic enim Christus ipse cum juvene illo tractans, primo servanda mandata proposuit, nec ante ad altiora perrexit, quam audivit : *Haec omnia custodivi a juventute mea* (Luc. 18, 21). Atque inde maxime missionarii insistunt, ut a peccatis mortalibus fideles abstineant. Religioso autem, ac socio Jesu in specie, qui ad omnem perfectionem et ad plenissimam Christi imi-

tationem, juxta suam vocationem, tendere debet, nihil est perfectionis, quod non et proponi possit, et oporteat.

IV

De dispositione requisita ad perfectum creaturarum usum, seu de indifferentia

Quapropter (quod ut assequamur) **necesse est facere nos indifferentes erga res creatas omnes, quoad concessum est libertati nostri liberi arbitrii, et non prohibitum; adeo ut non velimus ex parte nostra magis sanitatem quam infirmitatem, divitias quam paupertatem, honorem quam ignominiam, vitam longam quam brevem, et consequenter in ceteris omnibus.**

Ex his et ex iis quae de usu creaturarum superius diximus, evidenter apparet non tantum Exercitia integra, sed nec Fundamentum, quale jacet, omnibus indiscriminatim tradi posse, sed selectis tantum exercitantibus, a quibus magna et perfecta expectari possint. Quot enim homines invenias, quos ad id adducas, ut creaturis utantur in tantum, vel ab iis ab-

stineant in tantum, in quantum vel juvent vel impediant in *prosecutione* finis sui? Multum feceris, si a plerisque obtinueris ut a peccato mortali in posterum abhorreant; maxime autem tibi gratulaberis, si similem horrorem pro peccato veniali deliberato in eis invenias. Indifferentiam autem, de qua S. P., frustra in eis quaeres. Multum erit, si in prosperis ab offensione Dei abstineant, in adversis autem, se cum patientia ac resignatione divinae voluntati submittant. Haec tamen de ordinario rerum cursu intelligantur; nam ignaros ipsos ac specietenus despicabiles, sed humiles ac simplices, ad summos ipsos perfectionis apices Deus, si libuerit, evehere poterit, et nonnunquam evehit.

Neque in hac re aliud jam superest, nisi ut iis quae de indifferentia R. A. P. Roothaan sapienter adnotavit, pauca non nullius momenti adjiciamus.

Ac primo quidem creaturae omnes secundum naturam suam bonae sunt. *Et vidit Deus quod esset bonum* (GEN. 10, 12). Si autem in sua cum homine relatione considerentur, per se indifferentes sunt, earumque in ordine morali bonitas aut malitia ex recto vel perverso usu oritur. Qui proinde secundum finem

ob quem creatus est, scilicet ad Dei gloriam, ut laudet Dominum Deum suum, ei reverentiam exhibeat, eique serviat, creaturis utitur aut ab iis se abstinet, abnegando semetipsum, is bene agit; male autem, qui ex perverso proprio amore, suo fine posthabito, et contra Dei gloriam, utitur creaturis, quando abstinere deberet, vel quando deberet uti abstinet. Si vero attendatur ad modum servandum : *in tantum — in quantum;* quis non videat agi hoc loco de omnimoda perfectione? Quae quidem perfectio possibilis nullatenus est, nisi ei, qui sibi mortuus, erga omnes creaturas indifferens est.

Ideoque S. P. non ait : *juvat,* aut *magni momenti est*, sed : *Necesse est facere nos indifferentes erga res creatas omnes.* Nam si quis indifferens non est, creaturaeque affectu voluntario adhaeret, is seductioni absque dubio erit obnoxius et fere certo labetur; quare S. P. ne quis a perfecto creaturarum usu aberret, necessariam indifferentiam esse omnino affirmat.

Indifferentia autem duplex est, altera scilicet quae respicit sensibilitatem, voluntatem altera; quarum prior, indifferentia sensus, erga omnes creaturas haberi in hac vita

non potest, nisi vel ex singulari Dei privilegio, vel ex eo genere consolationis, quem primo loco recenset S. P. in 3ª reg. de discr. spir., cum in anima excitatur « motio aliqua » interior, qua inflammari incipit anima in » amore sui Creatoris ac Domini : et conse- » quenter, quando anima nullam rem creatam » super faciem terrae amare potest in se ipsa, » sed solummodo in Creatore omnium illa- » rum; » extra quos casus subjacet homo creaturarum illecebris, *abstractus et illectus,* ut ait S. Jacobus (I. 14); unde et *militia est vita hominis super terram* (Job 7, 1); *Vincenti* autem dabit Deus *edere de ligno vitae* (Apoc. 2, 7). Hinc fit ut hoc praesenti loco minime agat S. Ignatius de indifferentia illa quoad sensum, sed de indifferentia voluntatis tantum, qua sibi homo ita dominatur, ut se eodem prorsus modo determinet, ac si nullam ex parte creaturarum vel attractionem vel repulsionem sentiret, unum omnino intendens, scilicet Dei gloriam et voluntatem. Atque haec est aurea illa, quam S. P. expostulat, indifferentia.

Jam vero haec indifferentia omnino est impossibilis ei, qui non magnanimiter secum statuerit sibi ipsi mori, ut soli Deo vivat; verbo, ei qui non firmissime se obstrinxerit

ad vitam suam Dei laudi, reverentiae, ac servitio consecrandam. Hinc nisi profundissime primus ille Fundamenti clavus infigatur, nihil solidi fiet in reliquis partibus, totaque fundamenti machina, solutis compagibus, ruat necesse est. Atque iterum hinc intelliges cur S. P. non dicat, necesse est *esse* nos indifferentes, sed *facere nos* indifferentes. Etenim cum maneant semper creaturarum illecebrae et attractiones ex una parte, ex altera autem experiamur in nobis sensibiles aut propensiones aut aversiones : res in voluntate per liberum arbitrium, adjuvante gratia, conficienda est. Haec igitur indifferentiae *virtus* est, qua homo *se facit indifferentem,* qua *agit contra.*

Quoad concessum est libertati nostri liberi arbitrii, et non prohibitum. Haec restrictio positae indifferentiae definitioni non contradicit, immo cum ea perfecte consonat. Ad id enim tendit indifferentia, ut certius ac facilius quae sunt divinae voluntatis aut beneplaciti executioni mandentur. Ubi vero voluntas Dei, sive imperans, sive prohibens innotescit, non amplius libertati et indifferentiae, sed submissioni et obedientiae est locus. Per indifferentiam igitur voluntas in aequilibrio constituitur, ut cum divinae voluntatis pondus

uni vel alteri parti accesserit, in eam partem voluntatis statera illico, cessante aequilibrio, se inclinet. Eodem quoque sensu accipienda verba quae sequuntur : *ex parte nostra,* scilicet : nisi accederet voluntas Dei, essemus indifferentes. Quando autem actus, non jam indifferens, sed bonus imperatusque est, aut malus sive intrinsece, sive extrinsece per legem, indifferentia non solum virtus non est, sed vitium. Quamobrem dicit Ignatius excipi ab illa indifferentia quaecumque libertati nostri liberii arbitrii concessa non sunt.

Adeo ut non velimus, etc. Haec egregie in notis suis exposuit R. A. P. Roothaan; ad quem brevitatis causa lectorem remittimus.

V

De perfectissimo creaturarum usu

Unice desiderantes et eligentes ea quae magis nos conducant ad finem ob quem creati sumus

Non totam S. Patris nostri mentem assequi hoc loco videntur ii, qui ultimum hoc Fundamenti comma in ipsa indifferentia contineri

censent, quasi in illo nihil indifferentiae superaddatur : eximium enim quid, idque perfectissimum superadditur, ut apparebit, cum de tribus humilitatis modis, de Binariis et de electione agetur.

Sane nemo negabit finalem illam animi dispositionem indifferentiam praesupponere, et indifferentiae perfectionem exprimere; sed nec ullus negabit ultimum comma, de quo nunc agimus aliquid omnino altius quam meram indifferentiam et simplex aequilibrium innuere. Agitur enim hic non de indifferente tantum, sed de *desiderante* et *eligente;* neque de hac aut illa re quam quasi indifferente oculo respiciat exercitans, sed de iis, quae ut perfectissima desideret ac eligat : *quae magis conducant ad finem.*

Hinc concludinus S. Patrem in his verbis, quibus fundamentum absolvit, germen abscondisse, quod, ubi creverit in decursu secundae hebdomadae, pretiossisimos fructus producet in lucem, amorem scilicet paupertatis cum Christo paupere, opprobriorum cum Christo saturato opprobriis, immo et vitam vitae Christi similem, qua nihil magis hominem ad finem ob quem creatus fuit, potest conducere.

Sic igitur in fundamento omnia omnino quae in Exercitiis continentur principium ac germen inveniunt. Finis enim proximus hominis, officia ejus erga Deum, et modus utendi creaturis, salus tandem animae procuranda, viam sternunt ad primam hebdomadam. Perfecta autem indifferentia et finale Fundamenti comma ad tertium ipsum humilitatis modum atque ad bonam electionem inscium etiam exercitantem a longe disponunt. Quinimmo ipsamet Exercitiorum corona, Contemplatio de amore spirituali, quid aliud est quam perfecta ipsius Fundamenti executio, qua homo sibi ipsi mortuus soli Deo vivit, quem ex toto corde cum ingenti gratitudine et amore laudat, ut Creatorem potentissimum et omnium creaturarum originem agnoscit ac reveretur, cui tandem totum se, cum summa sui abnegatione, integre devovet, cujus servitio se plane mancipat? *Sume, Domine, et suscipe.* Quid vero aliud est consideratio Dei praesentis in creaturis atque operantis, nisi creaturarum usus nobilissimus per contemplationem, qua Deus ametur in omnibus, et omnia propter Deum atque unice in Deo diligantur? Quartum demum ejusdem contemplationis punctum, unicum nomen *Deum* in ipso capite Fun-

damenti positum respiciens, Divinitatisque ipsius infinitam essentiam ac perfectionem contemplanti proponens, animam ad completam sui abnegationem perducit, eam transformans ut ex purissimo amore in Divinitatis demergatur oceanum. Neque ultra potest effingi quidquam praeter ipsam in caelum adscensionem. Interea repetit anima : *Vivo ego, jam non ego, vivit in me Christus,* donec tandem, cum apparuerit ante faciem Dei, plenissime dicat : *Dilectus meus mihi, et ego illi* (CANT. 1, 16) in aeternum.

EXAMEN PARTICULARE

et quotidianum; continet in se tria tempora et examinationem sui bis faciendam

Nullo unquam tempore non fuit in usu examen conscientiae; ast examen particulare, de quo hic agitur, adjuvante S. Spiritu, a S. Ignatio excogitatum est. Quod tanti faciebat S. P., ut Parisiis ad aliquot menses discedens, hoc unum cum octiduana Confessione et Communione relictis ibidem suis sociis commendaverit. Noverat quippe, si haec juxta suam mentem fierent, cetera omnia sanctissime esse processura. Neque eum fefellit eventus : ex assidua enim et ferventi examinis particularis praxi gigantes illi perfectionis prodiere, qui Ecclesiam Dei tantopere illustrarunt : Franciscus Xaverius, Faber, Laynez, ceteri.

Nec mirum. Etenim nihil isto examine, modo rite fiat, ad tollendas affectiones inordinatas omnes, de quibus S. P. in Annotationibus, ac proinde ad contrarias affectiones animae inserendas effacacius est.

Legerat Ignatius in libro Imit. Christi verba haec : *si omni anno unum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur*. Huic innixus principio, potentissimam illam examinis particularis bellicam machinam aedificavit, eamque ideo *particulare* examen vocavit, quod hic, non omnia peccata aut defectus, ut in solito conscientiae examine, indagentur, sed unum tantum in specie peccatum aut defectus, ut, collectis omnibus animae viribus, de unico hoste facilius ac promptius victoria omnimoda referatur, quia *pluribus intentus minor est ad singula sensus*.

Potest quidem cum utilitate examen particulare circa virtutis alicujus exercitium institui; sed examen istud aliud erit ab Ignatiano examine : nam S. Pater ne verbum quidem profert quo examen illud insinuet; non enim aliam materiam ponit quam peccatum vel defectum, idque forte, vel quia hoc magis ad humilitatem et propriam confusionem conducit, vel quia eo ipso quod vitia exterminantur, simul ac per se virtutes oppositae inseruntur, vel tandem quia nunquam deerunt vitia vel defectus quibus bellum indicatur.

Ac primo quidem eligenda sunt vitia externa, seu quae exterius oculos offendunt. Hic

enim facilior et promptior triumphus; unde sine mora ad interiora transitus fiet.

In eligendo autem peccato vel defectu quem debellare velimus, illud vitium ante omnia impugnandum est quod animae maxime nocet. Sic qui impudice vixit, bellum vel cogitationibus, vel vocibus, vel ipsis etiam occasionibus indicet; qui blasphemator fuit, verbis blasphemiae et verbis etiam quae cum formulis blasphematoriis consonare viderentur; qui mendax, mendaciis; qui iracundus, iracundiae motibus; et sic porro de singulis peccatis. Qui vero pie vivunt, inquirent quaenam in ipsis passio adhuc vigeat, ex qua ut plurimum culpae aut defectus enascuntur, eamque armis examinis particularis intrepide aggredientur. Haec quidem extra Exercitia; intra autem Exercitia materiam praeberi additionibus vult S. P.; quae causa est cur in capite Exercitiorum examinis illius methodum descripserit; immo nihil impedit quominus exercitanti, dum in consideratione Fundamenti versatur, examen illud jam proponatur.

Mutanda non erit examinis materia, donec adeo debilitatus hostis fuerit, ut quoties denuo insurgere tentaverit, prompte atque facile re-

tundatur. Interrumpi tamen per breve tempus poterit, vel ad vitandum uniformitatis fastidium, vel ad emendationem alicujus defectus quae moram non patiatur.

De modo autem quo examen particulare fieri debeat, ut eximii, quos S. P. intendit fructus colligantur, in primis omnino, sicut conditio sine qua non, requiritur, ut qui illud instituit serio atque animose ad peccatum illud vel defectum intrepide ac immisericorder debellandum profligandumque sit paratus. Nisi enim haec dispositio adfuerit, vel brevi examen omittetur, vel pro forma fiet et sine fructu. Tolle ardorem illum tenacemque voluntatem, et jam aliquod quidem exercitium, sed nullatenus examen a S. P. excogitatum facies. Ante omnia igitur, ita incendatur in anima quam maxime inflammatum in illud peccatum vel defectum odium, ut dici possit cum Psalmista : *Persequar inimicos meos, comprehendam illos, et non convertar, donec deficiant* (Ps. 17, 38). In hoc, in hoc, inquam, tota vis examinis particularis consistit. Hinc intelligitur ad hoc examen cum vero fructu a S. P. intento peragendum tepidos esse prorsus ineptos.

Examen particulare *continet in se tria tem-*

pora. Primum tempus est, quod mane statim ac (e strato) surgit homo, proponere debet cavere diligenter ab illo peccato particulari vel defectu, a quo se vult corrigere et emendare. Tota vis, ut diximus, in firma et ardenti emendandi se consistit voluntate, quod patet ex vocibus *cavere* DILIGENTER, et : *a quo se* VULT, quae, ut certo certius intelligantur et inculcentur, iteratis vicibus a S. P. in sequentibus repetuntur.

Sicut igitur qui hostem habet quem vehementi prosequitur odio, hunc, statim ac e somno excitatur, quasi ob oculos habet, et contra eum inardescit, ita et qui *vult* se a detestato peccato vel defectu emendare, mane statim atque e strato surgit, peccatum illud quasi infensissimum animae suae hostem sibi praesens cernit, et in illud odium suum vindictaeque desiderium acuit atque incendit. Ex quo iterum liquet bellum illud non ignavis ac socordibus, sed fortibus atque intrepidis esse paratum.

Secundum tempus est, post prandium, (quo debet petere homo a Deo Domino nostro ID QUOD VULT *(cupit),* scilicet, *gratiam, ut recordetur quoties lapsus sit in illud peccatum vel defectum, et ut se emendet in posterum; et consequenter faciat primum examen, exigens rationem ab anima de illa*

re proposita et particulari, a qua SE VULT *corrigere et emendare, etc.*

Quatuor praestanda hoc secundo tempore proponuntur : 1. Petitio gratiae. 2. Examen. 3. Annotatio. 4. Propositum.

1. Petitio gratiae. Ubi se quis in divina praesentia cum magna reverentia, ut innuitur vocibus reverentiae plenis : *a Deo Domino nostro,* steterit, petat ID QUOD VULT, scilicet *gratiam,* sine qua nihil in ordine supernaturali possumus. Gratia illa duplex indicatur : prior ad cognitionem pertinet, posterior ad voluntatem : scilicet *ut recordetur quoties lapsus sit,* dein : *ut se emendet in posterum.* Nisi enim sequeretur emendatio, numeratio defectuum esset prorsus inutilis. Quantum autem petitio illa gratiae prosit, non ex eo solum patet, quod gratia impetrari possit, *petite et accipietis,* sed quod etiam ad humilitatem conferat, quae virtus magis forte etiam Deum movet quam ipsa oratio. Nam petitio quidem omnis auditur a Deo, sed *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, donec propinquet non consolabitur; et non discedet donec Altissimus aspiciat* (ECCLI. 35. 21). Jam vero deprimit se coram Deo qui agnoscit non posse se non solum ad emendationem, sed et ad culpa-

rum suarum agnitionem, sine divino auxilio pervenire.

2. Examen rigidissimum petit S. P., nec tamen ingratum futurum ei qui peccatum particulare vel defectum tanto prosequitur odio ut efficaciter et ardenter *velit* se emendare. Vult enim S. Fundator ut novus homo coram tribunali suo veterem hominem sistere jubeat, atque ab eo severissimam rationem exigat, eamque non generalem tantum, qualis fieri solet in generali culparum omnium examine, sed cum speciali rigore erga *rem illam propositam in particulari*. Exigendum scilicet in hac materia, ut omnes ad unum defectus computentur et scripto notentur.

3. Annotatio. Non sufficit ut numerus defectuum inquiratur, sed numerus scripto notandus est, juxta decrescentes lineas a S. P. figuratas, ut intelligat qui se exercet minui in dies debere defectus; necnon ut fieri possit comparatio diei praesentis cum die praecedente, et hebdomadae praesentis cum praecedente hebdomada. Quae omnia satis declarant quanta firmitas requiratur in voluntate, quamque ardens emendationis desiderium esse oporteat, propterea quod si haec desint, telum examinis imbelle erit, nec scopum attinget.

4. Propositum. Qui sincere ac firmiter se a peccato illo vel defectu vult emendare statim ac commissorum defectuum, non obstante matutino aut pomeridiano proposito, computum fecerit, confusionem doloremque sentiet et sibi indignabitur quod tam ignavus extiterit; unde nova voluntas acuetur, ac firmius elicietur propositum. Quae contritio ita necessaria est, ut, si desit, examen fere inutiliter fiat : ejusdemque necessitatem S. P. memorat in petitione gratiae : *gratiam... ut se emendet in posterum;* tantique eam facit, ut non solum in examine ipso, sed et post unamquamque culpam vel defectum eam exercitari et elici velit, ut videre est in prima ex subjectis quatuor examinis particularis additionibus :

Prima additio est, ut, quotiescumque homo cadat in illud peccatum seu defectum particularem, pectori manum admovcat DOLENS *quod ceciderit; id quod fieri potest, etiam coram multis, quin advertant quid faciat.*

Firma igitur voluntas emendationis, *a qua vult se corrigere et emendare),* dolor post lapsum et constans propositum, ita inter se connexa sunt, ut uno ex iis deficiente deficiat emendatio et fiat examen inutile.

Hisce igitur non contentus subjicit dehinc

S. P. quatuor additiones, quibus particularis examinis negotium magis ac magis urget, ut scilicet *citius* tollatur particulare peccatum, vel defectus.

Prima additio ea est, quam modo retulimus. Plures autem habet haec additio utilitates : 1. Signum est animae ad profectum suum, coram Deo, semper intentae, et magis ac magis emendationem exoptantis *(a qua se* VULT *corrigere) : Anima mea in manibus meis semper* (Ps. 118. 109). 2. Sic lapsus non excidunt memoria. 3. Actus doloris et propositum implicite eliciuntur. 4. Elicitur actus humilitatis. 5. Augetur ardor certaminis. 6. Augetur et fervor in divino servitio.

Secunda, cum prima linea figurae significet primum examen, et linea secunda secundum examen, videat sub noctem an sit emendatio a prima linea ad secundam, id est a primo examine ad secundum. Cum lineae a S. P. descriptae semper ita decrescant, ut sequens sit praecedente brevior, apparet, quantopere hic iterum urgeatur emendatio : qua re homo ita impulsus dicere posset : *vim patior.* Lineae illae hoc habent commodi, quod primo obtutu, sine ulla supputatione, et majori cum sensu, decrementum aut incrementum appareat. Hinc, quamvis

non sit improbandus eorum usus qui summam defectuum numero exprimunt, videntur tamen lineae menti S. P. magis accommodari. Eadem dici possunt de tertia et quarta additione, in quibus, non jam solum mane cum vespere, sed dies cum die, et hebdomada cum hebdomada comparantur. Multoque etiam hic magis patet quantum sint lineae numeris commodiores. Numerorum enim comparatio verum laborem exigit : linearum autem comparatio, modo puncta descendendo sibi satis respondeant, quasi uno obtutu efficitur.

Ex his omnibus manifestum est examen particulare, quale a S. P. proponitur, non aliud esse quam perpetuam a mane usque ad vesperum vigilantiam et assultum, donec ita debilitatus hostis fuerit, ut in posterum nullum amplius serium vel periculum, vel negotium possit facessere. Ad hoc ubi pervenit homo, alium hostem eodem cum ardore et cum eadem constantia continuo aggreditur. Quis jam non videat eum qui generose ad gloriam Dei, tam acrem, tam indefessam pugnam committat, per continuas victorias ad perfectionem cito perventurum? De tali namque merito dici poterit : *Ascensiones in corde*

suo disposuit, in valle lacrymarum... Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion (Ps. 83. 6).

Examen conscientiae generale ad purgandum se, et ad melius confitendum

Sicut maculae physicae purgari et tolli non possunt quae non videntur, ita et morales animarum maculae, nisi introspiciantur. Ad hoc ergo conscientiae examen, seu commissorum peccatorum indagatio ordinatur, ut deleantur peccata contritione et confessione. Nec profecto sufficit scire peccata; sciebat enim David suum adulterium et homicidium; scientia autem nihil illi profuit, nisi quando a Deo per Prophetam Nathan ac divino lumine illustratus, cum paenitentia dixit : *Peccavi Domino;* tunc enim tantum in nomine Dei respondit Nathan : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* (2. Reg. 12. 13).

Non quaecumque igitur peccatorum cognitio aut scientia ad purgandam animam et ad confessionem sufficit; dolorosa sit oportet. Talis autem erit, si per divinam illustratio-

nem et gratiam, mediante concursu humano et attenta consideratione, naturam ipsam et malitiam peccatorum suorum peccator intime cognoverit ac senserit. Quae intima cognitio exercitiis primae hebdomadae obtinebitur. In praesenti autem tractatu de priore illa cognitione sive scientia agit S. P. N., qua praevie indagantur et numerantur peccata, postmodum ponderanda, ut vera contritio, sine qua impossibilis condonatio est, eliciatur.

At frustra hic sub titulo Examinis conscientiae completam omnium quae committi possunt peccatorum seriem quaeras. Sensit enim, pro suo practico judicio S. P., longas illas peccatorum enumerationes, non inutiles tantum pro maxima parte esse et fastidiosas, sed pavere plerumque in appretiandis peccatis confusionem mentis, et contritioni, quae praecipua dispositio est, non parum, sublata simplicitate ac libertate animi, nocere; sensit et facillime explanationibus meditationum, quas director suppeditabit, primo orandi modo, et propriae conscientiae remorsibus, exercitantem ad cognitionem propriorum peccatorum esse perventurum. Tandem in hac re, sicut in aliis, ea tantum proponit Ignatius, quae

omnibus sunt communia. Quae vero singulis propria sunt, directori ea, et ipsi exercitanti relinquit.

Illud igitur in brevi hac tractatione sanctus Fundator intendit, non ut peccata indigitet, sed circa puncta quaedam, exercitanti rectam ac justam conscientiam informet.

De cogitatione

Quanti in animabus errores ac quantae perturbationes ex cogitationibus oriantur, novitii ipsi confessarii non ignorant. Paenitentes enim alii, laxioris scilicet conscientiae aut rudiores, in confessione de peccatis quae merae cogitationes sunt, ne loquuntur quidem; alii vero, delicatiores nempe animae, cogitationes quascumque malas ut peccata accusant. Cui duplici errori ut occurrat S. P. N., et ostendat aliis merito, aliis peccato esse posse cogitationes malas, inquirit primum de earum vel culpabili vel inculpabili origine; acturus dein de modo quo quis in ipsa cogitatione se gerat.

De cogitatione in genere quidem, sive bona sive mala, sic ait : *Praesuppono esse tres cogitationes in me, scilicet, unam meam propriam, quae*

exurgit ex mea mera libertate et voluntate; si bona illa cogitatio est, est et in origine meritoria; v. g. si de passione Domini voluntarie cogito; si vero mala, distinguendum. Vel enim illa cogitatio, ut accidit in materia sexti praecepti, medico, confessario, ac theologo, necessaria ad studium est aut utilis, nullumque, secluso consensus libidinosi periculo, peccatum annexum habebit; vel est vana et inutilis, iterumque si absit malus affectus ac consensus periculum, non aderit, si simplex sit ac mera cogitatio, mortale peccatum, sed veniale tantum; vel tandem ex voluntario libidinoso affectu oritur, et est mortale peccatum, ut patet ex damnata in Societate propositione, quoad *delectationem veneream deliberate quaesitam aut voluntarie admissam.*

De iis vero cogitationibus quae nec deliberatae nec voluntariae in sua origine sunt, sic ait Ignatius : *ac duas alias, quae adveniunt extrinsecus, alteram quae venit a bono spiritu, alteram (quae) a malo.* Duae illae cogitationes, utpote quae in sua origine a propria voluntate nullo modo pendent, nullam hucusque aut bonitatem aut malitiam moralem, ac proinde nec meritum nec demeritum habent; quae bonitas vel malitia tunc tantum aderunt, cum

voluntas se vel in unam vel in alteram partem libere tradiderit.

Ac de voluntariis simplicibus cogitationibus quidem satis dictum est in praesupposito. In sequentibus porro de tentatione ad male operandum, et consequenter de voluntariis desideriis aget jam S. Fundator.

De victoria aut offensione in ipsis ad operandum peccatum malis cogitationibus

In ipsis cogitationibus alii simpliciter merentur, nedum jacturam faciant; alii, quamvis de re graviter culpabili sit cogitatio, venialiter tantum peccant; alii tandem peccant mortaliter.

I

1. **Duo sunt modi merendi in mala cogitatione, quae advenit extrinsecus.** *Extrinsecus :* nam hic de cogitatione quae ex *mera* libertate et propria voluntate exsurgit, jam minime agitur. Extrinsecus autem orta mala cogitatio a malo tantum, nunquam a bono spiritu advenire potest. *Deus* enim *intentator malorum est.* Potest pariter advenire a scandalosis homini-

bus qui gregales ac instrumenta sunt diaboli, aut ab aspectu vel alia causa fortuita et involuntaria.

Non inconsulto S. P. merendi modum modo peccandi praeponit : ut scilicet intelligamus ideo tentationes a Deo permitti, ut vincamus et glorificemur, neque unde *immensum supra modum gloriae pondus* obtinere possumus, exinde cadamus animo et contristemur. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet* (Jac. 1. 2. 3).

Igitur in malis cogitationibus quae ad peccatum mortale perpetrandum impellunt, duplex est, juxta S. Ignatium, merendi modus :

Primo, verbi gratia, advenit cogitatio de committendo peccato mortali sive verbi, sive operis, *cui cogitationi resisto in promptu, et illa victa manet.* In his verbis atque in hoc modo merendi duo notanda sunt : resisto *in promptu* quod non fit, ut videbimus, ubi venialiter peccatur; et : *victa manet,* scilicet, non redit amplius eo tempore. Quibus adde, quo acrior tentatio sit, eo etiam majus esse meritum; deinde ubi de luxuria agatur, resistentiam in eo consistere ut *in promptu* a cogitatione fugiatur; quando-

quidem stare in conspectu talis hostis ut ei in facie resistatur, summa imprudentia est. Idem fere de tentationibus contra fidem est dicendum.

Secundus modus merendi est, quando mihi venit illa eadem mala cogitatio, et ego illi resisto, et (ea) iterum atque iterum redit, et ego semper resisto, donec illa cogitatio victa recedat; et hic secundus modus majoris est meriti quam primus.

Hic modus merendi multo frequentior est quam primus : raro enim accidit, ubi praesertim vehementiori sensuum tentatione imaginatio percellitur, ut non saepius cogitationes redeant, atque iterata certamina subeunda sint. *Certamen forte dedit illi ut vinceret.* — Nec despondeat animo qui ita tentatur : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te* (Tob. 12. 13). Inde lumen circa propriam imbecillitatem; inde humilitas : *Qui non est tentatus, quid scit?* (Eccli. 34, 9). Inde robur, ac firmior splendidiorque virtus : *Virtus in infirmitate perficitur* (1 Cor. 12, 9). Inde conformitas cum Christo tentato et in horto agonizante, *qui vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit* (Is. 53, 4). Inde diurturni ac dolorosi in anima palma martyrii; inde ingens et incomprehensibilis in caelo gloria : *Momenta-*

neum et leve tribulationis immensum supra modum gloriae pondus operatur in nobis (2. Cor. 4. 17). Nec nimium timeas; nam *sufficit tibi gratia mea* (2. Cor. 12. 9). Quantumvis tibi a Deo relictus videaris, quod est durissimum tentationis acumen, nunquam propior astitit invisibiliter Deus : *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum* (Ps. 90, 15).

Audi Christum consolantem S. Birgittam, sanctam illam viduam, quae in sua senectute insolitis atque horribilibus contra castitatem tentationibus a longo tempore impugnabatur : « Ut sentiat homo quam in se debilis sit et » quantum ex me roboris inveniat, necesse est » ut malarum cogitationum acumen sustineat. » Istae ipsae tentationes, modo eis resistat, » animam ejus puriorem efficiunt, ejusque » virtutum custodes fiunt. Quamtumvis ama- » rae sint, morbos animae tollunt et ad vitam » aeternam conducunt, quae sine amaritudine » obtineri non potest. Cum omni tantum dili- » gentia iis resistatur. Miraris, filia, quod cum » aetate crescant tibi tentationes, et quod » senior pugnas carnales sustineas, quas in » juniore aetate ac matrimonio juncta non » noveras. Ideo hoc permitto ut intelligas et » sentias nihil posse te sine me. »

Nec minori solatio sit S. virgo Catharina Senensis, quae carnalibus etiam tentationibus agitata, tam longum, tam crudele subiit martyrium. Inferni enim spiritus non solum obscoenis imaginibus ac somniis animam ejus cruciabant, sed turpia verba proferentes, sub infamibus formis ei apparebant; ipsa autem incassum claudebat oculos ne talia spectacula cerneret. Eo vero magis desolabatur, et id probationi culmen erat, quod omni consolatione caelesti ac solita devotione careret. Nihil tamen propterea, (quod tentatis, juxta doctrinam S. P. N., exemplo sit), de suis exercitiis spiritualibus intermittebat, quin potius magis ac magis orationi insistens, sic seipsam alloquebatur : « Vilissima peccatrix, » omni consolatione indigna, nonne tibi satis » esse oportet, si non eas in infernum, etiamsi » per totam vitam crux haec et istae tenebrae » ferendae essent? » Cumque diabolus ei responderet : « Sic te ad mortem usque cruciabi- » mus et opprimemus, nisi nobis consentias », » reposuit fortissima virgo : « Afflictionem » elegi in heriditatem meam, nec ingratum, » imo gratissimum mihi erit haec et alia pati, » propter honorem Domini mei Jesu Christi, » quamdiu ei placuerit. » Quibus auditis tota

daemonum cohors pudore suffusa aufugit; et illico cubiculum virginis caelesti fulgore irradiatur, medioque in lumine, apparet Jesus, cui Catharina : « Ubi ergo eras, mi Jesu, dum » mens mea tot obscoenarum imaginum fluctibus jactabatur? » Respondit Jesus : « Eram » in medio cordis tui, filia, servans te a consensu. Sinebam autem tentari te in tantum » in quantum tentatio erat ad salutem tuam » utilis, ut victoriam reportares. »

Ut autem non de sanctis feminis tantum, sed et de viris dicamus, S. Alphonsus Rodericius, vir ille Soc. Jesu tam heroïcae sanctitatis, omni tentationum genere, post emissa vota simplicia tentatus fuit et supra modum discruciatus. Nam ut tentationes acerrimas contra fidem, spem aliasque virtutes omittamus, per septem fere integros annos, durissimis, quae verbis, ut aiebat, exprimi nequeunt, certaminibus castitas ejus a daemonibus, permittente Deo, fuit impugnata. Tantae vero erant illarum tentationum illecebrae, tanti daemonum assultus, ut in continuo amittendae gratiae periculo versari se sentiret : adeo enim tota inferni rabies in eum irruebat, ut fere ad mortem usque opprimeretur. Quibus saevientibus pugnis, se modo sine

ulla vi ac sine flatu reperiebat; modo, cessante omni caelesti consolatione, dejectum ac penitus desolatum. Dumque ita sibi videbatur esse se jam sine Deo, circumdantes daemonum turmae eum omni ope atque opera blasphemantes ad luxuriam provocabant. Modo fauces ejus vixnon ad mortem usque stringebant, modo sub diversis allicientibus formis apparentes eum amplexabantur, osculabantur, ut tandem consentiret. Ipse autem ad extremum tristis et desolatus frustra aliquam quaerabat consolationem, Sanctam Virginem invocans, nec inveniens; supplex Sanctorum auxilium implorans, qui ne audire quidem videbantur; sed et ipse Deus surdus ac procul absens sentiebatur; quoque magis orabat Alphonsus, eo magis a daemonibus discruciabatur. Horribiles illos omnes assultus vir fortissimus delusit atque devicit; quam autem, ut diabolum prosterneret, methodum adhibuerit, ex ipsomet, quod ex obedientia descripsit, memoriali audiamus. Cum ei daemon interius suggereret : « Qui fit ut Deus, » cum animas adeo diligat, non omnes salvas » faciat? Id enim posset, et non facit. » Illico ad haec diabolo, nulla inita discussione, tergum vertebat, seque ad Deum totus erigebat :

diabolus autem neminem amplius quocum disputarat inveniens, confusione plenus recedebat. Aliunde impugnatus, se totum Deo cum perfecta resignatione committens, aiebat: « Gratias tibi ago, Domine, laudo ac benedico » te, quod tale quid propter amorem tuum » pati mihi dederis. » Cum diabolus eum turpibus cogitationibus vexabat, magnum super se signum crucis describebat, jubebatque daemonem prosternere se, crucemque humiliter adorare, ac dicere : *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum :* et illico superbiae spiritus, ne obedire cogeretur, fugiebat. Tanta autem cum sollicitudine curavit tentationum occasiones praecavere, ut per quadraginta annos, quamvis esset Collegii janitor, ne semel quidem vultum feminae respexerit. Solebat enim dicere : « Eo tempore quo servi Dei cum mu-« lieribus tractant, eos non tentat diabolus; » secus enim sibi caverent; sinit igitur eos » esse tunc intentatos, ut libere vultus respi-» ciant. Ast ubi domum rediere, eos dum ora-» tioni vacant, tentat et acriter persequitur. » Recordemur quid S. Hieronymo acciderit, » ex eo quod Romae olim saltantes feminas » conspexisset. Cum enim jam ad extremam

» senectutem pervenisset, ad ossa per poeni-
» tentiam consumptus, earum recordatione a
» daemone adeo tentabatur, ut die noctuque
» ad Deum, auxilium efflagitans clamaret. Si
» autem illas ante non respexisset, non inde
» potuisset eum diabolus tentare et affligere. »

Quid igitur ei agendum qui multis, sive luxuriae, sive blasphemiae, sive infidelitatis, sive desperationis, sive odii in Deum, tentationibus lacessitur? Sequentia diligenter servet : 1. Non discedat ab intimo illo animae suae sanctuario, in quo habitat Deus, Deoque se per integram ad omnia resignationem, committat. 2. Nullum ex suis solitis pietatis exercitiis aut operibus omittat, nec ipsam maxime sacram Communionem. 3. Quoad blasphemias aliasque ejusdem generis suggestiones, ne directe iis resistat; simpliciter et pacifice omittat iis attendere, nec pluris illas quam volitantes muscas faciat. 4. Si vehementius et importunius urgeatur, divinum auxilium imploret. 5. Recurrat ad Christum crucifixum, ad plagas ejus, et maxime ad vulnus SS. Cordis confugiat. Ita solebat S. Augustinus. 6. Etiamsi repelli se a Deo sibi videatur, ut indignus et omnino alienus, ne quid fiduciae remittat, sed in spem contra

spem erigens sese dicat cum Job : *Etiamsi occiderit, me, in hoc ego sperabo* (Job. 13, 15) : nec eum spes fallet; nam *fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* (1 Cor. 10, 13).

At vero examen circa cogitationes de quibus modo diximus, ab iis qui *in promptu* resistunt, nullum instituendum est; primo quia nullum peccatum est quod indagetur; secundo, quia examen illud esset perniciosum; easdem enim, et vehementiores forte tentationes denuo suscitaret. Atque hic latet anguis infernalis. Nam cum pars inferior istis cogitationibus non mediocriter moveatur, ac voluntas ipsa videatur ad consensum inclinari, saepe saepius in fortibus etiam mentibus formido consensus oritur; unde pertubationes, ac dubia dolorosissima; suadet porro diabolus, ad solvendum dubium, examen, quo renovetur tentatio, et sic anima novis iterum atque iterum mentis cruciatibus intricetur. Iis ergo qui solent, non dico sensu, sed voluntate et opere a peccato abhorrere, verbum Christi ad S. Teresiam est applicandum : « Nemo me » amittit, quin id clare videat » Confessarius autem iis, quotiescumque sine examine

non vident consensisse se, examen, etiam in ordine ad confessionem, prohibeat, nec aliam accusationem in ordine ad absolutionem quam generalem permittat. Plura vero, in ordine ad spiritualem directionem tantum, dici poterunt.

II

Venialiter peccatur, quando eadem cogitatio peccandi mortaliter venit, et homo ei praebet aures, aliquantulum ei immorando, vel recipiendo aliquam delectationem sensus, vel ubi sit (interveniat) aliqua negligentia in rejicienda tali cogitatione.

Mirum est, et sine lumine Spiritus Sancti vixnon inexplicabile, S. Ignatium, tum quum theologiae, ac litterarum esset adhuc ignarus, rem difficillimam, differentiam nempe mortalis ac venialis peccati, etiam in cogitationibus ab extra, tam clare, tam distincte, tam concinne declaravisse. Cum autem propter hanc doctrinam traductus fuisset, judicibus respondit : *Verane sint an falsa quae scripsi, vestri judicii est : ego enim meum non interpono; si vera sunt, probate, si falsa, rejicite.* Nemo autem ausus est quidquam improbare.

Porro doctrinam a S. P. hic expositam

orthodoxam esse patet : 1° Ex Ecclesiae sententia, quae totum librum Exercitiorum, talem qualem approbavit. 2° Ex contextu ; sunt enim, juxta S. P., soli tres modi se habendi in malis cogitationibus : alii scilicet *resistunt in promptu* et penitus vincunt : consensus igitur ibi nullus est, nullum peccatum, immo magnum est meritum ; alii autem *praebent consensum* et *peccant mortaliter*. Restat vero medius et unicus terminus, eorum nempe qui nec ita resistunt ut tentatio plene victa sit, nec tamen consentiunt, sed medium aliquod tenent, resistentiam inter et consensum, ac proinde nec sine labe nec cum peccato mortali inveniuntur. Cum igitur isti peccent, non tamen mortaliter, reliquum est ut venialiter peccent. 3° Ex verborum Sancti Patris consideratione, quae plenum consensum ad mortale peccatum requisitum minime continent. Quid enim agit homo intermediae classis? Primo *praebet aures* cogitationi, *aliquantulum ei immorando ;* quae cum mala sit, nec proinde sine periculo aliquo, procul dubio male agit qui illi immoratur, periculum tamen nondum est proximum, nec voluntas peccandi mortaliter intervenit, sed negligentia tantum adest, sine plena gra-

vis peccati advertentia. Ac certe quo major est mora, eo culpabilior est et periculosior; unde S. P. ait : *aliquantulum* ei immorando. Vel secundo, *recipit homo aliquam delectationem sensus*. Atque in his praesertim verbis latet difficultas. Si enim delectationem scienter, cum plena advertentia, et voluntarie recipere-ret, receptio talis in nullo differret a voluntaria saltem delectatione, v. g. in re venerea. Porro S. P. distinguit illam receptionem a consensu; unde necessario ab ea excludit plenam mali cognitionem plenumque voluntatis assensum; quae ad consensum et peccatum mortale requiruntur. « Supponitur itaque illa » receptio fieri subreptitie, ut ait Suarez, et » antecedenter ad plenam judicii et rationis » animadversionem; quamdiu autem delecta- » tio in eo statu durat, etiamsi aliqua negli- » gentia interveniat, tantum est veniale pec- » catum : nam sine plena advertentia rationis, » consensus etiam interpretativus mortalis » non intervenit. » Vel tertio, *ubi sit (interveniat) aliqua negligentia in rejicienda tali cogitatione*. Prudenter dicit S. P. non mere *negligentia,* sed *aliqua* negligentia : nam delectatio morosa per solam negligentiam potest fieri peccatum mortale, ut ex prima secundae con-

stat : quia ad peccandum mortaliter non semper requiritur expressus et directus consensus, sed sufficit crassa et supina negligentia. Ita S. Thomas.

Notemus, hoc in loco Exercitiorum vulgatam versionem, quam secutus est P. Suarez, multo minorem, quam versionem litteralem a P. Roothaan propositam afferre difficultatem. Haec enim dicit iste de iis qui mortaliter peccant : *Primus modus est quando homo praebet consensum malae cogitationi...* addit autem aliquid vulgata : *Mortale peccatum committitur quando cogitationi peccati praebetur* QUACUMQUE RATIONE *consensus*. Quae voces ad abstergendam omnem confusionem aptissimae, nimirum : *quacumque ratione,* si fuissent in autographo quod judicibus oblatum est, nulla moveri potuisset controversia; nam evidenter probant ne cogitasse quidem S. Ignatium consensum qualemcumque, modo verus sit consensus, posse in hac materia, veniale tantum esse peccatum; nisi quis censere velit eum sibi ipsi contradicere, quod certe nemini cordato placebit.

Augetur etiam difficultas in autographo ex vocibus : *recipiendo aliquam delectationem sensus;* ambigua enim est vox *recipere;* nam vo-

luntarie aliquid recipitur, juxta ordinariam verbi acceptionem; at recipi aliquid potest voluntarie, non in se, sed in causa; causa autem hic est negligentia, eaque voluntaria, siquidem est veniale peccatum; delectatio autem sensus est in se involuntaria, eique homo resistit, cui nisi aliquo saltem modo resisteret, adesset consensus et peccatum. In vulgata versione iterum evanescit difficultas, nam ibi passive se habet homo quoad delectationem : *vel quando aliqua obiter sensus delectatione afficitur;* quod certe sine consensu facillime potest existere.

Omnia ergo omnino, sive in vulgata, sive etiam in litterali versione, ita explicari commodissime possunt, ut cum orthodoxa doctrina consonent. Porro si possunt, et debent. Hic enim applicanda sunt quae ab initio, non sine opportunitate, dixit Ignatius : *Praesupponendum est quemvis bonum Christianum promptiorum esse debere ad salvandam propositionem proximi, quam condemnandam, etc.*

III

Duo sunt modi peccandi mortaliter

Primus modus est, quando homo praebet consensum malae cogitationi ad operandum statim (vel post hoc) sicut consensit (juxta consensum), vel ad eam opere exequendam, si posset.

Ut committatur peccatum mortale, non sufficit ille, de quo theologi, semiconsensus, qui non differt ab ea negligentia, de qua modo dictum est; sed verus ac plenus, cum vera mali cognitione et voluntatis libertate consensus; hic autem consensus illico et uno momento praebetur; quo memento, jam interne committitur mortale peccatum illud de quo in hoc primo modo sanctus Pater. Nam ad operandum peccatum mortale consentit.

Duplex autem casus accidere hic potest. Etenim, vel habet ille occasionem peccatum istud perpetrandi, vel non; si habet, consensus ille erit in opere efficax; si non habet, erit consensus in se quidem efficax, sed quoad exsecutionem inefficax desiderium. Atque in hoc iterum, si occasio nunc quidem non adest, speratur vero postea adfutura, consensus nunc

datus *ad operandum statim (vel post hoc) sicut consensit,* est jam nunc peccatum mortale cogitationis. Si vero occasio neque nunc adest, neque adfutura praevidetur et speratur, consensus nunc datus *ad eam opere exsequendam si posset,* etsi propter defectum occasionis satis opportunae simpliciter non consentit in opus nunc faciendum, est iterum peccatum mortale cogitationis. Nec videtur hoc ultimum practice differre a *voluntaria delectatione sensus*, quae propterea a S. P. N. tamquam peccatum non speciatim enumeratur.

Quod si occasio peccatum opere patrandi nunc adest, et consensus datur ad illud, jam transimus ad secundum modum peccandi, in quo peccatum interno consensu conceptum paritur et educitur in lucem. Scilicet :

Secundus modus peccandi mortaliter est, quando opere completur illud peccatum; et est gravius (priore) ob tres rationes : primo, ob longius tempus; secundo, ob majorem intensionem; tertio, ob majus malum utriusque personae.

1. *Ob longius tempus;* quae circumstantia, (nisi plures, propter interruptiones, actus fuerint), etsi non est in confessione declaranda, tamen peccatum non parum aggravat; quo enim diutius mala voluntas persistit, eo diu-

tius offenditur Deus; persistit autem diutius internus ille consensus ex quo etiam exsecutio externa sequitur, quam merus consensus vel delectatio interna, momento uno, sine ulteriore effectu praeteriens.

2. *Ob majorem intensionem;* multo enim major inordinatae passionis intensitas requiritur ad opus, v. g., venereum, aut ad homicidium patrandum, quam ad delectationem internam aut ad ipsum desiderium. Etenim operis sequelae, enormitas, turpitudo, crudelitas, quae omnia in interiore consensu non adeo sentiuntur, maximopere, quando actus jamjam ponendus est, deterrent, atque in operante multo majorem in malo confirmationem supponunt. Unde multi in confessione consensum internum fatendo addunt : noluissem tamen facere, etiamsi se obtulisset occasio.

3. *Ob majus damnum utriusque personae.* Ex hac ultima ratione apparet S. Ignatium in toto hoc de peccandi modis articulo, de peccatis contra sextum praeceptum potissimum agere; et re quidem vera, in ceteris peccatis dignoscendis vel nulla difficultas est, vel si qua adsit, positis pro sexto principiis sponte solvitur.

Externorum vero peccatorum damna quo-

modo possent enumerari? Amissio in utraque persona gratiae Dei, et aeternae damnationis, nisi veniam consequantur, certitudo; dein amissa pro utroque praeterita merita, ac merendi incapacitas quamdiu in peccato remanebunt. Quoties etiam accidit, ut unum peccatum primus sit annulus catenae innumerarum iniquitatum quae in fine pertrahat scandalisatum in infernum? Quot miserorum impudica totius vitae corruptio ab turpibus primum auditis sermonibus initium sumpsit! Ubi autem semel infernalis ille luxuriae ignis accensus est, quis eum extinguet, aut etiam temperabit? Quibus spiritualibus ac praecipuis peccati externi damnis adde amissum saepius honorem ipsum, adde forte fortunae et sanitatis damnum, remorsus, etc.

De verbo

Iis quae S. P. de juramento et de verbo otioso conscripsit, nihil omnino explicationis gratia addendum videtur, cum sint per se planissima et lucidissima. Unum tantum adverte, nimirum magnam illam, qua Deum nominat, reverentiam : *Creatore ac Domino*

suo. — Dominum et Creatorem rerum omnium. — Deum Dominum nostrum.

Quaeret forte quis cur S. P. tam fuse de juramento tractet, de blasphemia vero, quae tantum est peccatum, ne mentionem quidem faciat? Respondendum, S. Ignatium non intendisse hic, sicut jam diximus, peccatorum catalogum texere, aut ostendere eorum gravitatem, quod melius fiet in Exercitiis primae hebdomadae, sed quasdam difficultates circa certa peccata solvere, ea vero quae plana per se sunt non attingere.

Ut vero de detractione loqueretur non una tantum ratio suadebat. Non solum enim multi, quid in hac re liceat, quid prohibeatur, ignorare videntur, sed passim in mundo detractiones, etiam gravissimae, sine scrupulo committuntur, quasi non aliud esset peccatum recens ab aliquo occulte commissum aperire, quam nova quaecumque narrare. Quamobrem de hoc vitio ex professo agit S. P. N., idque, tam clare ac tam perspicue, ut omnium captui se accommodet; immo et tam exacte ac tam complete, ut cum magna brevitate omnia fere practica theologorum praecepta vir theologiae tunc ignarus, cum admirabili methodo nec minori cum simplicitate enuntiet.

Ne dicas quidquam in diffamationem (alterius) vel murmurationem. Quin definiat culpabilem detractionem, ejus essentiam unico verbo exprimit : *dicere aliquid in diffamationem;* de essentia enim detractionis est, ut quod dicitur talis naturae sit, ut inde fama bona alicui detrahatur; bona autem detrahi non potest illi qui eam jam publice amisit, ideoque diffamatio erga illum exerceri non potest. Tandem cum fieri possit, sicut infra videbitur, ut quis alterius culpam alicui manifestet, etiam cum diffamatione, non tantum sine culpa, sed etiam cum merito, ideo non dicit : ne aliquem diffames, sed : ne dicas quidquam cum intentione diffamandi, aut quod nullum finem alium habeat quam diffamationem : quae omnia exprimit per voculam *in : in diffamationem.* Haec autem non exprimuntur in vulgata, quae simpliciter dicit : *Non detrahendum alteri.* Quibus verbis non innuuntur, sicut in autographo, exceptiones et explicationes, quae venient et in autographo et in vulgata.

Ne dicas QUIDQUAM; nam, juxta modo dicta, si *quidquam* vere *in diffamationem* alterius reveletur, nunquam non aderit culpa; culpa autem absolute talis erit, qualem eam nitidissime definit S. P.; Voce enim *quidquam*

culpae omnes in genere continentur : secundum autem gravitatem, tripliciter a S. Ignatio in autographo dividuntur, dupliciter autem tantum in vulgata, quae de peccato mortali aut veniali loquitur, et in aliqua summaria repetitione tertium punctum, scil. defectuum revelationem, cum ceteris detractionibus involvit. Nitidius et clarius S. P. in autographo procedit : 1. *Si ego revelo peccatum mortale, quod publicum non sit, pecco mortaliter;* Vulgata tria ad hoc requisita recenset : non publicum peccatum, mala intentio, grave damnum famae alterius. Mala intentio, (de qua Vulgata pro solo peccato mortali) respicit etiam veniale et defectum; ideo in autographo exprimitur ab initio *in diffamationem,* scil. cum intentione diffamandi, quae mala est. Addit Vulgata, dilucidationis gratia, *grave damnum famae alterius,* nam hoc ad mortale requiritur. Advertunt enim Theologi varia peccata, etsi mortalia, ratione personae, etc. quandoque non esse graviter infamantia, et e contrario ex eadem personae ratione peccata venialia posse famae necessariae v. g. ad spiritualem gubernationem, graviter nocere. Extra quem casum, 2. *Si veniale, venialiter.* 3. *Et si defectum, patefacio meum proprium defectum.* Hoc evidenter ex

intentione S. P. in autographo tertium genus detractionis constituit : a mortali descendit ad veniale, et a veniali ad defectum. Potest enim quis injuste alicui nocere, non tantum ea revelando quae vera peccata sunt, sed ea etiam quae simplicem defectum continent : id dicendum quandoque de ipsis physicis defectibus, aut de defectibus qui indolem spectant; ex quibus fieri potest, ut alieni affectus nascantur. Forma non insulsa utitur hic S. P. dicendo : *patefacio meum proprium defectum,* sive mihi ipsi primo proprium non bene ordinatum affectum, cujus mihi nondum eram conscius, revelo, v. g. zelotypiam, malevolentiam, levitatem; sive ei revelo coram quo detraho. Unde gladius ex utraque parte acutus dicenda est detractio, cum et eum qui detrahit et eum cui detrahitur, pariter vulneret.

Pergit S. Fundator : *et si intentio sit sana, duobus modis potest quis loqui de peccato vel defectu alterius. Sana intentio* opponitur supra dictis vocibus *in diffamationem,* quibus nocendi famae intentio significabatur. *Sana* latius etiam extenditur, cum per se expertem ab omni morbo spirituali seu vitio intentionem supponat. Jam vero, non solum contra justitiam, sed et contra charitatem per detractio-

nem peccari potest, et peccatur saepissime. Non enim ex eo quod, propter rationes modo afferendas, legitimum quandoque per se sit (non dicam detrahere aut dicere quidpiam in diffamationem sed) *loqui de peccato alterius,* non sequitur inde eum qui ita loquitur immunem semper esse a peccato; nam si id facit, non ex sana intentione, puta ex odio aut invidia, peccat vel mortaliter vel venialiter, pro rei gravitate, contra charitatem. Hinc S. P. reg. 10 Summ. agens de culpis Nostrorum manifestandis Superioribus, quae manifestatio ex praecedenti reg. 9 et ex promissione facta ab unoquoque nostrum ab ipso in Societatem ingressu, per se est omnino legitima, ait : « Boni etiam omnes consulant ab » aliis corrigi, et ad aliorum correctionem ju- » vare, ac manifestare se invicem sint parati, » *debito cum amore et charitate, ad majorem* » *spiritus profectum.* » Itaque charitate, nec substantiali charitate tantum, sed et amore moveri debet delator, ac majorem alterius profectum unice intendere, nedum ex odio, aut ad fratrem suum humiliandum agere possit. Quae omnia tum maximé, cum de Superioribus ad mediatos Superiores litterae mittuntur, omnino servanda sunt. Ac re quidem

vera unusquisque contentus certe esse debet quod deferatur apud suos Superiores; sed deferenti graviter incumbit, antequam id faciat, serio considerare coram Deo, primo utrum quae dicturus est certa sint, nec tantum non dicat falsa, sed nihil etiam exaggeret; deinde utrum delatio gloriae Dei et bono animarum profutura sit, an potius nocitura; porro utrum res ejus momenti sit quae deferatur; utrum tandem ipse sincero zelo, an contra odio aliquo, vel ira, vel livore, vel alio inordinato affectu in deferendo moveatur.

Nec demum sine causa adsimilat S. P. detractioni murmurationem seu crisim : detractio enim genus est, murmuratio autem detractionis species. Quapropter, cum murmuravisset soror Moysi in deserto adversus fratrem suum, simul et Superiorem, peccato ejus adeo Deus iratus est, ut eam illico lepra afflixerit ignominiosisse, ipsaque extra castra ejecta fuerit (Num. 12, 15).

De diversis culpabilitatis gradibus in murmuratione non loquitur S. P. Etenim ex iis quae de detractione dicta sunt, facile intelliguntur. Si nimirum damnum ex murmuratione grave sit, et murmuratio grave peccatum

est; si leve, veniale. Hoc tamen detractionem simplicem inter et murmurationem discriminis interest, quod etiamsi levis sit murmurationis materia, possit tamen, propter damni gravitatem, murmuratio esse grave peccatum; v. g. si inde Superioris auctoritas atque ad bonum operandum facultas grave detrimentum accipiat; quod de aliis etiam non Superioribus est intelligendum; item si inde zizania inter fratres seminentur. Talia vocabat R. P. Roothaan *peccata caudata*. Sequentia, anno 1849, in domo Lovaniensi coram Nostris dixit : « Quandoque mihi audire ac» cidit talia dicta et talia judicia alicui con» traria, eaque ita repetita et circumlata, ut » in me exhorruerim, formidans ne ea occa» sione multa commissa essent peccata mor» talia; neque alia solatii ratio mihi occurrit » quam, existimare Deum, propter obloquen» tis levitatem et inconsiderantiam, forte non » fuisse graviter offensum. Expavesco, mihi » credite, propter peccaminosas illas murmu» rationes ac detractiones. Vultis audire quid » ex talibus consequatur? Provehitur quis » ad certum munus, in quo magna indige» bit suorum fiducia; fiduciam autem nul» lam, propter circumlatum illud obloquium

» obtinebit. Sed qui talia circumtulit, ratio-
» nem de toto malo inde secuturo, eoque
» nonnunquam gravissimo, supremo Judici
» reddet. »

Si intentio sit sana, duobus modis potest quis loqui de peccato, vel defectu alterius.

Primo, quando peccatum publicum est, sicut meretricis publicae, vel de sententia in judicio lata, vel de errore publico, qui inficit animas (eorum) quibuscum est conversatio. Tres casus publicitatis hic enumerantur. 1. *Peccatum* quod jam publice cognitum est vel certe paulo post cognoscetur. Hic laedi non potest justitia, cum diffamatio existat. De charitate, superius diximus. 2. *Sententia judicis,* publica cum sit, tollit pariter peccatum injustitiae. Ast aliud quandoque de charitate dicendum; quae graviter laederetur, si v. g. reus, ut diffamationem evitaret, habitationem mutasset, ejusque ignotum ibi crimen aliquis sine justa causa divulgaret. 3. *Error publicus qui inficit,* etc.; qua in re nec charitas, modo odium personae non adsit, laedi potest; immo charitas erga bonos exigit, ut qui vel fidei, vel morum corruptor est, cognoscatur ut vitandus. Minime enim est lupo parcendum, ut dilanientur oves; nec sinendum ut ovina pelle indutus

incedat, qui ambulare debet in sua, ut ab eo sibi caveant agni.

Secundo, quando peccatum occultum revelatur alicui, ut is juvet eum, qui in peccato est, ad erigendum eum (a lapsu); si tamen habeat (quis) aliquas conjecturas vel rationes probabiles (ob quas speretur), fore ut (alter) possit eum juvare.

Regula haec sapientissima innititur principio, revelationem peccati ab alio commissi ideo solum peccatum esse, quia proximo noceat, vel quia fiat cum intentione non sana. Jam vero revelatio de qua hic quaestio est, neutro ex his vitiis inficitur, atque verum delati bonum intendens, ex mera charitate procedit, nedum illi obsit. Dum igitur S. P. ait : revelatur *alicui;* non cuicumque aut multis vult revelari, sed, ut ex integra regula apparet, personae aptae ac discretae, quae delati bonum pariter appetat, possitque eum a lapsu erigere, et contra lapsus novos praemunire.

Prudenter vero non dicit, certitudinem haberi debere quod discreta illa persona reum sit erectura a lapsu; unde fons scrupulorum oriretur; sed sufficiunt *aliquae conjecturae vel rationes probabiles.*

Atque quam practica sit in christianis col-

legiis haec regula, nemo non videt. Extrema hic vitanda sunt : timor nimius, seu scrupulus, et nimia libertas : vitabuntur autem, si ex una parte sana adsit intentio, ex altera vero *conjecturae illae* existant, *aut rationes probabiles,* de quibus S. P. *Sana* aderit intentio in revelante, si alumni aut alumnorum utilitati consulere intendat, neque ex pruritu loquendi procedat. Jam vero, cum magistri omnes, christiano nomine digni, discipulorum bonum intendant, salvae erunt ex hac parte et charitas et justitia. Sola igitur ac tota difficultas circa spem fructus versatur.

Praenotemus alia esse peccata quae semel aut raro committuntur; haec ubi abstersa sunt, alto premantur silentio; alia, quae communiter et facilius admittuntur, qualia sunt defectus pietatis, particulares amicitiae, turpiloquia, actus virtuti angelicae contrarii, pigrities, superbia, inobedientia, etc. Haec innotescant necesse est Superiori collegii et generali morum praefecto. Invigilatoribus vero et magistris quas *in specie* infamantes culpas alumni commiserint, dicere nec est necesse nec proinde licitum; quae manifestatio etiam non sine periculo proprio junioribus praesertim scholasticis fieret. Sufficit

ergo ac plerumque requiritur ut *in genere* moneantur tali et tali alumno, quoad amicitias particulares et mores, esse invigilandum.

Nisi enim isti omnes, pro mensura officii, ut diximus, praemoneantur, quomodo sufficienter pro communi Collegii praeservatione, aut pro singulorum discipulorum emendatione satagent et invigilabunt? Quot enim, sine illis praemonitionibus, protraherentur peccata, quot innocentes scandalo perirent!

Sed et alii sunt, quibus ut alumnorum miseriae aperiantur maxima interest, patres nimirum spirituales. Ceteri supra enumerati quasi forum externum constituunt; patres vero spirituales, forum internum; quo deficiente, manca est juvenum institutio. In foro externo, disciplinae praesertim locus est; in foro interno, securis ad radicem ponitur; hic informatur cor; hic internae aluntur virtutes, hic praeparantur vocationes; hic et praeparatur semen eorum, per quos fit salus in Israel. Patrum igitur spiritualium ministerio omnino est in collegiis utendum, eorum scilicet qui unice bonum alumnorum, non suam satisfactionem intendunt, et medere miseriis probabiliter poterunt.

De opere

Opera, juxta S. Ignatium, triplex objectum habent : 1. Mandata Dei. 2. Praecepta Ecclesiae. 3. Commendationes Superiorum. His ultimis praesertim insistens : *Non parum,* ait, *peccatur, causam praebendo (ut contra eas agatur) aut faciendo contra tam pias exhortationes et commendationes Superiorum nostrorum.* Quae si de bullis ait ac de indultis, quorum hic meminit, quid, si nostro tempore vixisset, de multo majoris momenti commendationibus dixisset circa christianas scholas frequentandas, circa impias ephemerides, circa liberalismum, circa ecclesiasticas immunitates, etc.?

Examinis generalis modus

Modus faciendi examen generale, et continet in se quinque puncta.

Examen *generale* dicitur quia in eo de omnibus peccatis quibuscumque commissis inquiritur; examen autem *particulare,* circa unicum peccatum aut defectum in particulari versatur. In examine quidem particulari tria sunt tempora; in generali autem duo tantum, vel etiam unum, prout fit circa meridiem et ad vesperum, vel vespere tantum.

Cum autem S. P. multa subintelligere soleat quae facile ex dictis supponuntur, nec omnia dicat expresse; et quamvis hic quinque puncta tantum proponat, nec quidquam aliud praemittat, evidenter tamen supponit actum divinae praesentiae et adorationis examini praeire debere. *Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Id ceterum satis innuitur in verbis reverentiae plenis : *Deo Domino nostro.*

Primum punctum est, gratias agere Deo Domino nostro pro acceptis beneficiis.

Non una de causa principium esse voluit S. P. gratiarum actionem; haec enim Deo debetur, a quo et bona omnia tenemus, et qui omni nos gratiarum ac beneficiorum genere tanto cum amore ditat ac replet assidue. Atque hic est fons unde nova diffluunt dona a divina Bonitate; sed super omnia hanc animi gratitudinem initio examinis postulat a nobis Ignatius, ut ad pravitatem nostram, cum divina Bonitate collatam, ex amore detestandam efficacius disponamur.

Secundum, petere gratiam ad cognoscenda peccata, eaque expellenda.

Undenam gratiae ad cognoscenda peccata necessitas? Nonne sufficit memoria? Juvat

certe memoria, nam natura juvat gratiam; at multum abest ut sufficiat. Tanta enim est nostra levitas, tantae sunt nostrae tenebrae, tantus noster amor proprius, ut multae labes, quae Deo patent nos praeterirent, nisi Deus suo lumine nos illustraret; praeterea non sufficit ad scopum quaecumque cognitio, quandoquidem nisi haec supernaturalis fuerit, et agnitorum peccatorum foeditatem inditamque iis ingratitudinem per gratiam senserimus, cognitio erit mere historica, quae ad contritionem et emendationem conferet nihil.

Eaque expellenda; hoc opus, hic labor est; recta, pro more suo, S. P. ad solidum scopum tendit; nec satis ei est, quod emendatio sequatur; vult *expellantur* vi, ut hostes Dei et nostri infensissimi, peccata. Dolorem non memorat, qui nisi adesset, peccata non expellerentur.

Tertium, exigere rationem ab anima, (incipiendo) ab hora qua surrexit (quis) usque ad examen praesens, per horas singulas, vel per singula tempora; ac primum de cogitatione; deinde de verbo, ac postea de opere, eodem ordine quo dictum est in examine particulari.

S. Ignatius, vir ille fortissimus, qui, in militia spiritus, telum imbelle nunquam est

ejaculatus, qui *agendo contra* seipsum semper vincebat, quemadmodum *expelli* peccata volebat, ita et nunc tribunal jubet erigi implacabile, in quo judex sedeat severus exactor, nempe novus homo, et coram eo vetus homo judicandus, condemnandus, expellendus. Severitas illa est in vocibus : *exigere ab anima;* quae severitas necessaria ex eo est, quod suapte natura a virtute homo abhorreat, indulgeat autem vitiis : blanda apparent vitia; virtus vero specietenus saltem austera et aspera; inde *excusationes in peccatis.*

Satis autem severitas illa examinis ex eo apparet quod non circa verba tantum et opera versatur, sed et circa ipsas etiam cogitationes.

Quartum, petere veniam a Deo Domino nostro de defectibus (seu culpis). Venia supponit dolorem de commissis defectibus; porro dolor tanti momenti est, ut, si desit, ceterae partes examinis vix alicujus utilitatis futurae sint. Quid enim prodest scire peccata, de quibus non adsit dolor? aut quae sequetur emendatio, nisi praecesserit detestatio? Idem de Sacramento poenitentiae dicendum, in quo pars praecipua et essentialis dispositio poenitentis in contritione consistit. Jam vero quot sunt

qui de cognoscendis et rite exponendis peccatis quasi unice occupantur, de contritione vix solliciti!

Quintum, proponere emendationem cum ejus gratia. Pater noster. Quartum punctum respicit praeteritum, ut deleatur, quintum, futurum, ne eadem quantum fieri potest, amplius delenda occurrant.

Sapienter posuit S. P., non *promittere,* sed *proponere* emendationem. Tanta est enim nostrae naturae fragilitas, ut multum etiam proponentes in eadem saepius relabamur. Attamen non parum ad emendationem atque ad perfectionem, modo cum firma quam requirit sanctus Pater voluntate emittantur, juvant proposita. Deficimus enim omnes quidem, sed ubi quis iterum atque iterum animose resurgit, errata tandem corrigens ascensiones disponit in corde suo, haud secus ac qui montem ascendit; ex eo enim quod iste quandoque in ascensu labatur, emensam antea viam non propterea debet resumere, sed ubi surrexit, inde eam prosequitur, ac culmen tandem attingit.

Cum ejus gratia; ut, dum proprium concursum praestat homo, soli tamen Dei gratiae innitatur, eique omnia fideliter attribuat. *Sine*

me nihil potestis facere (Io. 15, 5). — *Gratia Dei sum id quod sum* (1 Cor. 15, 10). — *Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti* (Thren. 3, 22).

Pater noster. Hanc, quae a Domino est, efficacissimam orationem, ut omnium ac singulorum exercitiorum coronidem praescribit S. Ignatius.

Confessio generalis cum communione

Cum in Exercitiis S. P. non intenderit ut doctrinam theologicam traderet, sed utilia, quae ad animae sanctificationem conferrent documenta proponere voluerit, neque hic de confessione generali tractans moralia principia exposuit. Munus enim directoris est exercitantem, quantum necesse est, notionibus istis instruere. Unde in parenthesi tantum, sine ullo addito, de confessione generali necessaria meminit.

Confessio generalis tunc tantum necessaria est seu obligatoria, quando scit homo se fecisse confessiones sacrilegas. Si vero dubitat tantum, non tenetur; nam poenitens, juxta Tridentinum, ea tantum mortalia peccata confiteri tenetur, quorum *conscientiam* habet.

Sacrilega autem est confessio, vel quando quis in confessione celat notum sibi mortale peccatum, vel quando sine debita contritione ac proposito absolutionem recipit. Qui ultimus casus locum haberet, si quis quamvis venialia tantum confitens, de nullo eorum contritionem habere se *sciens,* ita reciperet absolutionem; ideoque piorum praxis est, ut, elicita ante contritione de peccatis totius vitae, addant in fine suis venialibus aliquod praeteritae vitae peccatum, de quo certo doleant. Cum igitur in sacris Exercitiis multo melius et cognoscantur et odio habeantur peccata, oritur quandoque dubium de praeteritarum confessionum valore, ex eo scilicet quod non fuerit idem in iis qui nunc sentitur, dolor. Quam qui turbationem patiuntur, notent optandam quidem esse et quaerendam contritionis intensitatem, sed eam ad valorem Sacramenti minime esse essentialiter requisitam, sed sufficere ut voluntate sincera poenitens de offensa Dei conteratur. Adesse autem contritio illa censetur, quotiescumque quis cum firmo proposito non peccandi de cetero ad sacrum tribunal accedit. Eliciendus quidem est actus contritionis, sed si sincere proponit poenitens pro futuro, cen-

sendus est dolere de praeterito. Unde hic applicandum est proverbium : *Quod factum est, rite factum est.* Bona voluntas adfuit; *Porro erit opus justitiae pax... et securitas usque in sempiternum* (Is. 32, 27).

Utrum noxia futura sit confessio generalis, judicet bonus confessarius, eique poenitens obediat, nisi inextricabilibus difficultatibus, continuisque perturbationibus se velit objicere. *Qui vos audit, me audit. Vir obediens loquetur victorias.* Si nempe Deus ita per confessarium contentus est, qui aliud poenitens requirat?

Porro ubi confessio generalis noxia non est, semper in Exercitiis est utilissima. De sola hac confessionis generalis utilitate hoc loco agit S. P.

In confessione generali, pro eo qui eam sponte (non ex necessitate) facere velit, inter alias multas *invenientur tres utilitates hoc loco (s. hoc Exercitiorum tempore,* in fine scilicet primae hebdomadae.)

Sponte, quia nimirum non est necessaria. Omissis aliis rationibus, quales sunt actus humilitatis quandoque heroïcus, pax et tranquillitas animi, gaudium in hora mortis, tres tantum, quae magis sunt Sacramento intrinsecae, recenset Ignatius :

Prima, licet ille, qui singulis annis confitetur, non obligetur ad faciendam confessionem generalem, (tamen) faciendo illam, habetur major profectus ac meritum, ob majorem dolorem actualem de omnibus peccatis et pravitatibus totius vitae suae.

Haec utilitas ex majore dolore de peccatis in genere oritur, qui fructus est praecipuus atque eximius exercitiorum primae hebdomadae confessioni praeeuntium; neque non aderit dolor ille si serio exercitans alaboraverit. Jam vero ex majore illo dolore, duo maximi momenti emolumenta consequentur : *major profectus* et *majus meritum :*

Major profectus : Tanta enim intensi et ex amore Dei procedentis doloris est efficacia, ut non modo mortalia peccata, sed quascumque animae labes, accedente praesertim Sacramento, ita illico abstergat, ut anima non purificetur tantum, sed mirabili continuo gratia et puritate resplendeat, qua fiat Deo gratissima, ad magna dona divinae Bonitatis suscipienda paratissima, ad Deum videndum disposita, majore in peccata odio succensa, atque ad praelia Domini cum gaudio et laetitia praelianda viriliter accincta. Quae omnia ad exercitia secundae hebdomadae mire

hominem praeparant ac disponunt. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Hinc patet quanti momenti sit, ut praesente illo dolore cum tanto labore comparato, ad omnia expianda peccata et ad omnes totius vitae pravitates certo delendas utamur. Dum enim singula vitae praeteritae peccata in confessione accusantur, singulis etiam dolor ille applicatur; quae singularis applicatio, etsi non necessaria est, cum de omnibus peccatis in genere sufficiat contritio, summae tamen eam esse efficaciae nemo inficiabitur.

Secunda, cum in talibus Exercitiis spiritualibus cognoscantur magis intime peccata et eorum malitia, quam tempore quo homo non ita vacabat rebus internis, obtinendo nunc majorem notitiam, et dolorem de illis, habebitur major utilitas, et (majus) meritum, quam ante habitum est.

In prima utilitate de dolore actum est, qui accusationem in ipsa confessione comitatur : *faciendo illam;* in secunda autem hac de praevia ante ipsam confessionem dispositione agitur, et de modo quo illa obtinetur, scilicet de intima peccatorum eorumque malitiae cognitione.

Cognoscuntur melius peccata tempore Exercitiorum, quam cum homo non ita vacabat rebus

internis. Primo, cognoscuntur peccata quae forte antea vix aut ne vix quidem, propter crassiorem conscientiam cognoscebantur, aut ad quae, quamvis gravia, parum attendebatur, et circa quae mira interdum lux et stupor oriuntur; in quo certe summa et ad emendationem et ad contritionem utilitas. Dein, ubi quis non jam unius mensis aut anni, sed totius vitae iniquitatum molem considerat, quantam confusionem, quantum pudorem et inde quantam humilitatem experitur! Si vero de particulari tantum confessione, praesertim extra Exercitia cogitasset, felices illos sensus eo gradu numquam habuisset. Ex quibus quanta postmodum cura ad vitanda peccata et peccatorum occasiones futura sit, nemo non videt.

Intime cognoscitur peccatorum malitia : nimirum per exercitia de peccatis et per primum orandi modum.

Haec in se expertus erat S. P. Ipse namque procul dubio, graviter decumbens, confessionem in ordine ad mortem praeparatam, cum requisitis saltem dispositionibus instituerat; sed quam aliter Manresae generalem confessionem fecit! quam aliter sua peccata eorumque malitiam tunc cognovit! Quam aliter

praesertim in specu sua de iis doluit atque ea deflevit! Tanti enim tunc fuere confusionis ejus et doloris sensus, ut eos ad mortem usque vividissimos servaverit, et inter ipsos etiam caelestium deliciarum raptus auditus sit dicere : *O Deus, quid me ita tractas, talem ac tantum peccatorem?* Praeterita scilicet sua peccata eorumque malitiam ita semper habebat ob oculos, ut se abominabile monstrum omni vituperio dignum existimaret. Atque hinc admirabilis illa ejus humilitas, humilitatisque praemia : omnium videlicet divinorum charismatum dona.

Tertia, consequenter, quod cum melius confessus sit, et melius dispositus, invenitur magis aptus et magis praeparatus ad recipiendum sanctissimum Sacramentum, cujus receptio non solum juvat, ne labatur in peccatum, sed etiam ut conservet (se) in augmento gratiae. Quae confessio generalis fiet melius immediate post Exercitia primae hebdomadae.

Ubi ait S. P. : *cum melius confessus sit,* primam utilitatem resumit, secundam autem, cum dicit : et *melius dispositus;* ex quibus sequitur tertia : scilicet, quod ita *magis aptus et magis praeparatus sit ad recipiendum sanctissimum Sacramentum.* Cum enim sanctissimum

illud sit inter Sacramenta, atque Eum contineat qui sanctitas ac puritas est infinita, prima omnium dispositio ad illum recipiendum puritas animae est : atqui per confessionem majori cum humilitate et dolore factam, qualis est generalis *sponte* instituta, multo perfectius homo purificatur.

Nec omnes omnino fructus S. Communionis S. P. enumerat, sed eos tantum qui ad Exercitia primae hebdomadae spectant, videlicet 1° vim non relabendi in peccata, 2° conservationem augmenti gratiae.

Ac primo quidem, quantum aberrant ii qui confessionem, omissa communione, sibi ad vitandos relapsus sufficere arbitrantur! Memores sint verbi Christi : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*... et illius quod ad rem nostram mire facit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem,* IN ME MANET ET EGO IN ILLO. *Qui manducat... et ipse* VIVET *propter me* (Io. VI, 57). Ac re quidem vera, Martyres ante suum supplicium, vires hauriebant non ex confessione tantum, sed praecipue ex sacrae Eucharistiae sumptione, unde laetantes ac velut leones divinum ignem spirantes pergebant ad tormenta.

Secundo, *etiam ut conservet (se) in augmento*

gratiae. Augmentum puta non illud certe quod ineffabile in sacra communione accipitur, siquidem communio supponitur hic medium *augmenti servandi;* sed augmentum quod per magna illa primae hebdomadae exercitia, per majorem de omnibus omnino peccatis dolorem, ac praesertim per confessionem generalem cum tanta dispositione peractam, ab exercitante susceptum est.

Pauculis quidem verbis, pro more suo, expressit S. P. quanti praeparationem ad sacram communionem faceret; id fusius Director exercitanti inculcet. Ita enim ex dispositione et ex fervore gratiarum actionis exigui aut praeclari fructus dependent, ut ubi in sacra communione fervet animus, continuo divina charitate accendatur ac dilatetur, aptusque ad magna pro Christo suscipienda efficiatur.

Audi S. Thomam : « Nullum Sacramentum » est isto salubrius, quo purgantur peccata, » virtutes augentur, et mens omnium spiri- » tualium charismatum abundantia impin- » guatur... Suavitatem denique hujus Sacra- » menti nullus exprimere sufficit, per quod » spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur : » et recolitur memoria illius, quam in sua

» Passione Christus monstravit, excellentis-
» simae charitatis. »

Audi et Joannem Chrysostomum : « Quo
» non oportet igitur esse puriorem, tali fruen-
» tem sacrificio? Quo solari radio non splen-
» didiorem manum, carnem hanc dividentem?
» Os, quod spirituali igne repletur; Labia,
» quae tremendo nimis sanguine rubescunt? »

Pridie sacrae Communionis, facta confessione, multum juvabit, aliquid, non legere tantum, sed attente, lente ac pie meditari, ex admirabili lib. IV, de Imitatione Christi.

PRIMA

HEBDOMADA

Conspectus generalis

De tribus viis

Posito Fundamento, in quo exercitans duplicem finem suum agnovit, proximum, primo, divinum nempe servitium in hac vita procurandum; dein ultimum, scilicet possessionem Dei in caelo obtinendam; inventa insuper ratione, qua in recto creaturarum usu, utrumque finem certo, immo et perfecte attingat, continuo ita accinctus iter arripit. Quod iter tria in Exercitiis sibi succendentia stadia exhibet : Quorum in primo, ad purgationem animae, in secundo, ad illuminationem, in tertio, ad unionem tenditur.

Dixi *in Exercitiis;* nam extra Exercitia, omnibus, iis etiam qui unioni vacant, utilissimum erit hinc inde in via purgativa exercere se; tum 1° quia omnes expurgandas

sordes contrahunt; tum 2° praesertim, quia cum nulla etiam perfectorum vitae pars sit, in qua, nisi illusionibus obnoxii esse velint, non oporteat eos in magna se humilitate continere, nihil profecto ad hoc efficacius, immo et magis necessarium est, quam vivus commissorum ante peccatorum sensus. Quis enim unquam in via unitiva magis eminuit, quam S. Teresia et S. Ignatius? Quis tamen iis magis, ad mortem usque peccatorum suorum foeditatem ac malitiam indesinenter mente, affectu et lacrymis refricuit? Qua ex re nascens jugiterque crescens humilitas, fons iis fuit praecipuus caelestium quibus abundarunt gratiae charismatum.

Via vero illuminativa omnibus familiaris sit oportet, iis etiam qui ad perfectionis apicem contendunt. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum* (Io. 17, 3).

Dixi *tenditur;* nam ex eo quod quis primam hebdomadam absolvit non sequitur inde eum inordinatas omnes affectiones sustulisse de medio; quinimmo felix habebitur si in secunda id fuerit adsecutus; nec ideo quod secundam perfecerit et tertiam, erit omnino illuminatus; neque post quartam, perfecte

unitus : Exercitia enim, ut ait S. P., *praeparant et disponunt;* cetera confert gratia cum generoso hominis concursu.

Primae Hebdomadae

Scopus et materia

Scopus primae hebdomadae, qualis ex prima annotatione eruitur, est *praeparare et disponere animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas*. Quare de tollendis peccatis non loquitur, quae certo ante omnia tollantur oportet, et tolli vult Ignatius? Quia cum hoc per ordinariam praeparationem ad confessionem obtineri possit, neque ad illud solemnis illa Exercitiorum machina necessario sit admovenda, pro suo genio Sanctus Fundator majora ac perfectiora prosequitur. Peccata enim fructus sunt; in Exercitiis autem ad radicem securis mittitur, ut non solum marcescant ac pereant, sed nec renasci maledicti illi fructus valeant; excisa enim radice, arbor ipsa extinguitur, ac ne spes quidem fructuum remanet. Radix autem sunt inordinatae seu male ordinatae affectiones. Quid vero nomine male ordinatarum affectionum sit intelligen-

dum, aperte in meditatione de Fundamento ostensum est. Quidquid scilicet sive directe sive indirecte ad divinum servitium non tendit, id inordinatum est. Omnis igitur hujus generis affectio exercitiis primae hebdomadae radicitus tollenda est. *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum* (Ps. 136, 7).

Ad tantam vero molem evertendam cum nimiae nullae machinae videri possint, tres tantum adhibet S. P., seu tria tantum proponit exercitia, nimirum de triplici peccato, de peccatis propriis et de inferno. Atque in hac ipsa dispositione ignatiani ingenii logica vis elucet, quae omnia ad unum semper dirigit. Postquam enim a Fundamento finem hominis in divina gloria per Dei laudem, reverentiam et servitium procuranda S. P. constituit; cum divinae gloriae sola peccata et peccatorum fontes, inordinatae affectiones, contraria sint, de solis peccatis meditationes proposuit. Cum autem timore etiam poenarum ad vitanda peccata homo juvari debeat, exercitium posuit de Inferno, in cujus praeambulo ait : *ut si unquam amoris Domini aeterni oblitus fuero per meas culpas, saltem timor poenarum me juvet, ne in peccatum deveniam.*

Quibus exercitiis si decem additiones con-

juxeris, integram primae hebdomadae materiam a S. P. propositam habebis.

Ast ex tam jejuno exercitiorum numero non parva difficultas videtur exurgere, nec minor ea est quae ex eorum exercitiorum materia nascitur. Tria enim tantum S. P. ponit exercitia. Jam vero si, ut ea distribuisse primo obtutu videtur, 1^{m} de triplici peccato fiat media nocte, 2^{m} primo mane de propriis peccatis, 3^{m} et 4^{m} scil. repetitiones ante (vel post) missam, et hora vesperarum, quintum denique de inferno ante coenam, exhausta ante coenam primae diei totius hebdomadis materia, quid jam septem aut octo sequentibus diebus, quem primae hebdomadae circiter dierum numerum in quarta Annotatione assignat, faciendum supererit? Neque enim quisquam respondebit voluisse S. P. ut Director alias materias ad hoc spatium implendum eligat; eas enim proculdubio ipsemet indicasset. At ne verbum quidem de tali re, quae summi tamen est momenti, protulit aut insinuavit. Ex alia vero parte, tam copiosa, tribus istis exercitiis, omissis etiam Directoris explicationibus, materia assignatur, ut non nisi levissime intra horae spatium delibari possit; quod est secundae

illi annotationi omnino contrarium, quia brevitas rerum meditationi proponendarum enixe a S. P. commendatur. « *Non enim,* ait, *abun-* » *dantia scientiae satiat animam, eique satisfacit,* » *sed sentire ac gustare res interne.* » Jam vero quis asserat hanc brevitatem in 1° et 2° Exercitio existere?

Haec ergo difficultas, si primum exercitium mediae noctis intelligatur esse integra de triplici peccato meditatio, et exercitium secundum integra meditatio de propriis peccatis, facile videbitur esse insolubilis. Solvetur autem si nomine primi Exercitii intelligatur non Exercitium una hora faciendum, sed *materia exercitiorum primo loco* in prima hebdomada faciendorum. Nullo enim modo intendit S. P. ut totum primum exercitium de triplici peccato noctu fieret, mane autem ab ortu ejusdem diei 2^{m} exercitium de peccatis propriis; sed ut 1^{m} exercitium libelli seu ejus materia divideretur in plura exercitia; v. g. 1^{a} die exercitia quinque fierent circa peccatum Angelorum : 2^{a} autem totidem exercitia circa peccatum primorum parentum; 3^{a}, de peccato unius damnati, deinde similiter divideretur meditatio de propriis peccatis, et de inferno. Sic tria illa primae hebdomadae Exercitia

amplam materiam etiam per octiduum praebebunt, neque obruetur rerum multitudine exercitans, et res animae profundissime infigentur.

Neque hanc ut nostram, sed ut Ignatii ipsius solutionem habebit, qui attente decimam nonam ex Annotationibus perpenderit. Agens enim ibidem S. P. de iis exercitantibus qui dotes quidem animae habent, sed occupationibus necessario impediuntur, divisionem quam modo diximus ipsemet exponit, dicens : *faciat per tres dies quolibet mane spatio unius horae meditationem de primo peccato* (1ª die), *de secundo* (2ª die), *et de tertio* (3ª die); *dein per alios tres dies de processu peccatorum; postea per alios tres dies eadem hora faciat de poenis quae peccatis respondent*. Sic, si bonus et ad proponenda puncta aptus sit director, solvitur omnis difficultas, et in Exercitiis proprie dictis S. Ignatii permanet Exercitans, quin extra illa ad alias materias quaerendas excurrat.

Sed et alia remanet solvenda difficultas. Nonnulli nimirum, ii praesertim qui falso existimant tria exercitia primae hebdomadae uno eodemque die debere concludi, quibus modo respondimus, mirantes S. Ignatium nulla de morte, de judicio particulari et ge-

nerali, de diversis peccatorum speciebus de peccato veniali, de tepore, de poena damni in inferno, de misericordia, quae tamen ad viam purgativam pertinent, exercitia tradidisse; ii nonnulli, inquam, ut materia integrae hebdomadae sufficiens inveniatur, post primam horam de triplici peccato, secundam de propriis peccatis, quintam autem in applicatione sensuum ad infernum peractam, jam ad meditationes de judicio, de morte se convertunt, primaeque hebdomadae meditatione de misericordia finem imponunt. Hunc autem suum procedendi modum justum, immo et menti S. Fundatoris conformem existimant, sive 1. quia materiae illae superadditae ad viam purgativam natura sua pertinent; sive 2. quia ab ipso S. P. in sexta ex decem additionibus innuuntur his verbis : *trahendo potius in memoriam Mortem et Judicium;* sive 3. tandem, quod videtur ipsis peremptorium, quia primi patres nostri, vivente et docente S. Ignatio, illis meditationibus vacabant. « Ceterum constat, ait R. P. » Roothaan in nota, et ipsum S. P. et ab eo » edoctos Patres in prima hebdomada medi- » tationes etiam de morte, de judicio, etc. » addere consuevisse. »

Sed enim quaestio illa gravitate sua non caret, quippe quae ad totius primae hebdomadae oeconomiam et intelligentiam pertineat; nec leviter, propter eas praesertim quibus nititur auctoritates est tractanda. Primo igitur, in genere respondemus materias illas quae exercitiis a S. Ignatio positis videntur extraneae et tamen superaddendae, in duobus exercitiis de peccatis *includi,* nedum a S. P. *excludantur;* Directori autem committi ut eas in his duobus exercitiis inveniat et suo loco proponat. Longe enim a mente S. Patris fuit ut meditationes illae, peractis tribus Exercitiis adderentur, ac seorsim et distinctae quasi novae materiae in novam directionem proponerentur. Unum enim tantum exercitanti ob oculos versari continuo voluit, peccatum scilicet quod utrumque hominis finem, proximum et ultimum pessum dat. Hanc itaque unitatem intendens, meditationes illas de morte, de judicio, etc. seorsim tradi noluit, sed in ipsis de peccatis exercitiis tractari in tantum in quantum peccati gravitatem, insolentiam, protervitatem, horrorem ostendunt et ad illud cum magno dolore detestandum concurrunt : videlicet unitatem scopi respexit, non materias in se. Hinc in

sexta additione cogitationes de Paradiso, cum eae tamen et in morte justi et in felici electorum sententia ultimo in judicio suapte natura occurrant, prohibuit, ut scilicet exercitans totus sit in pudore, in confusione et dolore. Cur autem S. P. in fine Exercitiorum primae hebdomadae, non vero primo die infernum posuerit, suo loco videbimus.

Ostendendum restat materias illas in ipsis tribus Exercitiis a S. P. positis penitus, in quantum ad scopum quem sibi proposuit, efficaciter concurrunt, contineri et includi.

Et primo quidem, si quis miraretur S. Ignatium applicationem sensuum tantum ad infernum dedisse, de poena autem damni mussitasse, is si meditationes de peccatis attentius consideret, inveniet ibidem jam infernum, poenam nempe damni et aeternitatem proponi. Quid enim aliud significant quae et de Angelis dicuntur : *de caelo in infernum praecipitati,* et de genere humano post peccatum : *tam multis hominibus ad infernum euntibus,* et de damnato ob unicum peccatum mortale : *quomodo juste fuerit condemnatus in aeternum ?*

Mors nonne fuit Adae et Evae comminata, ubi prohibiti sunt de fructu arboris scientiae comedere? Nonne inter poenas quas peccando

incurrerunt computatur? Nonne jam in primo primae meditationis praeambulo indicatur : *animam meam esse in hoc corpore corruptibili?*

De judicio particulari in tertio primi exercitii puncto nonne agitur? *discurrere intellectu quomodo... homo talis fuerit juste condemnatus.*

Nullane de peccato veniali et de tepore quaestio est in secundo praeambulo de inferno, cum dicitur : *Ut si unquam amoris Domini aeterni oblitus fuero ob meas culpas* (veniales nempe)?

In meditatione de propriis peccatis habes examen peccatorum a te in vita tua commissorum : jam vero si vis singulorum peccatorum in propria specie sua difformitatem agnoscere, lege : *inspiciendo foeditatem et malitiam quam* QUODVIS PECCATUM *mortale commissum habet in se.*

Si vero de misericordia quaeris, eam praeclarissime tractatam omnibus in meditationibus invenies : quo in genere nihil pulchrius reperies quam finale primi Exercitii cum Jesu crucifixo colloquium : secundum autem Exercitium sic absolvitur : *Concludere colloquio misericordiae, ratiocinando, et gratias agendo Deo Domino nostro, quod mihi dederit vitam usque adhuc, etc.* Quam autem misericordiae plena

sunt in ultimo de inferno colloquio verba haec : *Item quomodo usque adhuc semper me tanta pietate et misericordia prosecutus sit.*

Ex his igitur quid jam concludes? si, juxta mentem S. P. N., materias illas non nisi in quantum ad scopum in prima hebdomada intentum tendunt adhibere vis, non erunt tribus S. Ignatii Exercitiis meditationes postmodum superaddendae, sed prout in iis meditationibus occurrunt eas tractabis, solam peccati detestationem et dolorem intendens : sin autem eas seorsim, directe, in se, distincte et complete, renuntiando unitati ignatianae meditari volueris, ipsas, juxta Directorium, post tria S. Ignatii Exercitia collocabis.

Quam late ergo pateat Directoris officium, et hic iterum conspicitur; conspicitur praeterea quam sit, sub jejuna apparentia, completus in suis Exercitiis S. Fundator, et quam abunde ad octo et amplius dies sufficiant sic intellecta tria S. P. N. Exercitia.

Primum S. P. N. Exercitium

Est meditatio (facienda) per tres potentias (animae) circa primum, secundum, et tertium peccatum. Continet in se post orationem praeparatoriam, et duo praeambula, tria puncta capitalia et unum colloquium.

In hoc titulo simul et summario, enuntiantur, et species hujus mentalis orationis, *meditatio per tres animae potentias,* et partes quibus constat, quae quatuor sunt : Oratio praeparatoria, praeambula, tria puncta capitalia, colloquium. Qui erit omnium meditationum et contemplationum tenor usque ad finem Exercitiorum.

Quatuor haec corpus ipsius meditationis constituunt; sed alia summi momenti praesupponit S. P. ab exercitante, ut rite ac fructuose meditetur, ad meditationem afferenda quae aliis in locis magnopere commendantur; scilicet :

1° Magnum proficiendi in oratione desiderium. Cfr. 5[m] annot.

2° Propositum applicandi se summo studio; in quo liberalitas in eadem annot. commendata consistit; ex quo fit ut anima omni divino influxui suscipiendo parata sit.

3. Magna animi recollectio, de qua in 2ª et 20ª Annotatione.

4. Praeparatio proxima quae in quinta 2ae hebdomadae nota describitur : *Statim ut recordabor adesse horam exercitii, quod facere debeo, antequam vadam ad illud, ob oculos mihi ponam,* QUO VADAM, *et* CORAM QUO, scil. coram Deo infinitae majestatis, ego qui ex me nihil et peccator sum. Duplex hic sensus et magnitudinis Dei et nostrae vilitatis, quantum animam ad pie meditandum et ad divinum influxum recipiendum disponat, satis exprimi non potest. Pergit in eadem nota S. P. : *resumam paululum exercitium quod facturus sum, et postea faciens tertiam additionem, intrabo in exercitium.* Tertia autem additio sic sonat : *Uno vel duobus passibus ante locum in quo contemplaturus sum vel meditaturus, stabo spatio unius Pater noster, elevata sursum mente, considerans quomodo Deus Dominus noster me respiciat, et faciam actum reverentiae seu humiliationis.* Quae verba singula attentissime perpendantur, ex quibus magis iterum apparet quanti momenti sit gratia illa quam petebat S. Augustinus : Domine noverim te, noverim me; quam gratiam aliis verbis efflagitabat Ignatius : *Da mihi, Domine, humilitatem et reverentiam ex amore.*

His peractis, tandem *intrabo,* ait Ignatius, *in exercitium*, scil. faciam orationem praeparatoriam, quae eadem semper erit.

Oratio praeparatoria

Oratio praeparatoria est, petere gratiam a Deo Domino nostro, ut omnes meae intentiones, actiones, et operationes pure ordinentur in servitium ac laudem suae divinae Majestatis. Orationis hujus necessitas patet ex verbo Jesu : *sine me nihil potestis facere;* quid enim homo, nisi lumen et gratia in eum desursum veniant, in oratione poterit? Hinc ab ipso principio divinae illustrationis et caelestis influxus petitionem ponit S. P. Quae simplicissima oratio nullam non habet petitionis efficacis dotem : ardens desiderium habet, unde et magna fiducia, quae duo in 5ª annotatione praesupponuntur; deinde ex profundo tum propriae indigentiae, tum divinae Majestatis sensu, humilitatem et reverentiam : *Deo Domino nostro;* ac tandem rem petit Deo omnino acceptabilem, nec acceptabilem tantum, sed et gratiosissimam et perfectissimam, videlicet non propriam consolationem, immo nec proprium, quatenus proprium est, bonum, sed,

ut ita dicam, solum Dei bonum solamque ejus gloriam, qua nihil est Deo jucundius et acceptabilius. Sic S. P. semper sibi constans, sequitur in omnibus purissimum hominis finem : Dei laudem, servitium et gloriam. Atque ex hac petitionis puritate, primo quidem sequetur orationis exauditio : *Petite et accipietis,* cum vere hic nihil petatur nisi in nomine Christi dicentis : *non quaero gloriam meam, sed ejus qui misit me Patris* (Io. 8. 50); secundo, si ariditas et desolatio meditationem occupent, exercitans, cum divinum servitium divinamque gloriam unice intendat, sui commodi oblitus, cavebit ne propterea plus aequo contristetur et cadat animo; cavebit praesertim, ne de sua fidelitate, applicatione, fiducia quidquam remittat, sed 12ae et 13ae Annot. memor sicut et 5ae ac 6ae reg. disc. pro 1a hebd., fortiter aget contra desolationem; sic enim magis progredietur in tenebris desolationum quam in media luce consolationum; sic et cum Eo luctabitur, qui vinci se liberalitate nec sivit, nec sinet unquam. Quare S. P. apprime in hac re propria sua experientia edoctus, non simpliciter dicit : *ordinentur,* sed *pure ordinentur,* nimirum sine ulla proprii commodi etiam spiritualis exquisi-

tione; immo eousque procedit, ut hic ne mentionem quidem nostrae salutis faciat, sed unice dicat : *in servitium et laudem divinae suae Majestatis*. Noverat enim sectator ille majoris Dei gloriae, in hac puritate, non solum certissimae salutis, sed et perfectae orationis secretum recondi.

Ut omnes meae intentiones, actiones, operationes. *Intentiones* ad puritatem, de qua modo diximus, referuntur; *actiones* omnia quaecumque ad actus externos pertinent complectuntur, qualia sunt situs corporis, et additionum accurata custodia; *operationes* internarum facultatum animae exercitium maxime respiciunt.

Praeambula

Consilium Spiritus Sancti Ignatius probe intellexit, mirabilemque praeparandae orationis methodum excogitavit. *Ante orationem praepara animam tuam.* Satis ei non fuit per negotiorum profanorum omissionem et solitudinem praeparatio remota, nec proxima in meditationis materia praevidenda, ac plurimis additionibus custodiendis; non satis ei fuit si meditaturus se omnino recolligens consideraret quo, coram quo, et ad quid..., si stans

repleret se cogitatione ac sensu Dei praesentis, eum humiliter adoraret, ac genuflexus aut prostratus gratiam ad sancte meditandum efflagitaret; sed voluit praeterea, ut antequam meditationem ipsam aggrederetur, duo vel tria praeambula praemitteret. Quis ex his non intelligat quanta cum reverentia, humilitate et obsequio nubem illam, in qua creatura cum Creatore loquatur et agat, ingredi oportere aestimaret S. Fundator?

In prima quidem hebdomada duo tantum proponuntur praeambula, in ceteris autem, ubi de mysteriis agitur, tria.

Primum praeambulum est compositio, videndo locum, seu, ut aiunt, compositio loci. Non tamen semper, ut modo videbimus primum praeambulum erit compositio loci, sed semper erit compositio aliqua. Vel enim meditatio aut contemplatio fit de re visibili, vel de re invisibili.

Si fit de re visibili, ut est contemplari Christum Dominum nostrum, compositio erit videre visu imaginationis locum corporeum, ubi reperiatur ea res, quam volo contemplari. Dixi locum corporeum, ut v. g. templum, vel montem, in quo reperitur Jesus Christus, vel Domina nostra, juxta id quod contemplari volo. Dicitur ergo reprae-

sentatio, non ipsarum personarum, quod non nisi in ipsa contemplatione habebitur, sed praesertim loci; ac ne confusioni sit locus, S. P. explicationis gratia, ait : *locum corporeum,* UBI REPERITUR EA RES, *quam volo contemplari.* Et quasi hoc ipsum non sufficiat, exemplum ponit, rem iterum repetens : *dico locum corporeum, ut v. g. templum, vel montem, in quo, etc.* Neque in hac re plenam veritatem et mentem S^i^ Parentis assecuti videntur qui ita ponunt primum in mysteriis praeambulum : « repraesentabo mihi Christum in monte cum discipulis; » nec nihil hic claudicare videtur, Pater Gagliardi cum de praeambulis agens scribit : « Sapienter praescribit S. P. Igna-» tius, ut si est meditaturus rem corpoream, » eam *totam* imaginationi suae repraesentet, » id est, *personas, locum et alias circumstantias,* » quasi habeat ante oculos. » Etenim non quidem jubet S. P. ut ejiciantur personae, sicut cum Christus venditores ejecit e templo, sed ut locus ipse imaginationi quasi praesens existat.

Visu imaginationis. Nam imaginationi, non proprie intellectui, istud praeambulum offertur; ut scilicet facultas illa tam levis tamque instabilis, non modo non sit causa distractio-

num ac divagationum, sed utilissimum adjutorium. Quemadmodum enim ante scenicas repraesentationes, ita disponitur ac depingitur theatrum, ut imaginem loci, in quo actio ipsa locum habuit, exhibeat, atque sic spectator, non in civitate aut domo sua esse se credat, sed fictione quadam in aliam omnino regionem aut habitationem transferri sibi videatur; ita et in contemplatione locum, quasi esset is ante oculos sibi imaginatio effingit, ut de loco in quo reipsa vivit ac de rebus quae in hoc loco habentur, non amplius cogitet, neque iis distrahatur. Sic imaginatio ipsa, cum memoria et intellectu, in servitium et laudem divinae Majestatis dirigitur.

In meditatione de re invisibili, ut est hic de peccatis, compositio erit videre, visu imaginationis, et considerare animam meam esse in hoc corpore corruptibili (tanquam) carcere (s. ergastulo) inclusam, et totum compositum in hac valle exulans (ejectum in exilium) inter bruta animalia. Dico totum compositum animae et corporis (scilicet, me totum) :

In hoc praeambulo S. Ignatii ingenium, ac multo magis divina ejus illustratio mire eminet. Quemadmodum enim primam habitationem in *Domibus animarum* ad Deum tenden-

tium ponebat S. Teresia in cognitione sui ipsius, in qua ab ingressu incipiat homo nosse seipsum, scilicet suam discat agnoscere miseriam, ac necessarium totius purgationis animae fundamentum ponat, veram humilitatem ac sui contemptum, quae humilitas ex duplici cognitione, Dei videlicet ex una parte, ex altera vero, sui ipsius, oriatur : *Domine, noverim te, noverim me;* sic etiam in Fundamento Exercitiorum, iisdem mediis cademque via ad terminum eumdem perducimur. Nam postquam magnam jam Dei Creatoris ac Domini rerum universarum cognitionem ac sensum concepit exercitans, sensitque se utpote meram creaturam, nihil habere quod sibi sit proprium, nisi ut non sit; abyssum ex hoc jam capite, Deum inter et se animadvertit infinitam : *Substantia mea tanquam nihilum ante te* (Ps. 38, 6). *Quid est homo, quod memor es ejus?* (Ps. 8, 5). *Quid habes quod non acceperis? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* (2 Cor. 4, 7). Hinc sanctus tremor, ac profundissimae dependentiae sensus coram tanta tamque infinita Dei ac Domini majestate; qui sensus primus ac necessarius fundamenti humilitatis ac veritatis lapis est; seu, ut melius dicam et magis ad rem, prima abyssus

est, vacua illa quidem, in quam descendat homo oportet, ut ad veram sui cognitionem, proindeque ad humilitatem et veritatem se disponat. Sed et altera abyssus est, eademque plena lurida peccatorum spurcitie, cujus ad imum demergi debet homo, ut ad humilitatem sanctitatemque valeat pervenire. Nihil sum, nec solum nihil, sed et, quod turpius ac foedius, peccator sum. Bona quaecumque a Deo sunt; in me autem, nihil quod a me et a me solo sit, nisi ut nihil sim et sim peccator. In utramque igitur hanc abyssum, ad imum usque, demerserat sese Ignatius : inde mirabilis animae ejus puritas, inde ejus sanctitas; inde effusissima omnium caelestium donorum copia; inde fundata ab eo, ad humilis Christi Jesu exemplum, Jesu Societas. Humilitati, et tota S. Fundatoris vita, et ejus Exercitia, et conditae sui Ordinis Constitutiones innituntur, eamdemque pro fastigio habent et pro corona.

Atque haec, quae de humilitate diximus, intimam S. Ignatii mentem et secretum ejus consilium aperiunt, ex iisque primi praeambuli ratio facilius intelligetur. Hic enim, uno ictu, et omnis mundi vanitas, et humana superbia corruit atque evanescit. Quid enim

mundus iste est cum suis illecebris? Vallis abjecta, vallis lacrymarum, ignominiosum damnati hominis, longe a caelesti patria, exilium. Quid homo, quid genus humanum, quid ego ipse, creatus olim ad imaginem et similitudinem Dei, filius olim Dei? Quid jam, nisi a tanto honore dejectus exul, errans inter bruta animalia, quasi unum factus ex illis? Etenim, peccando, rationem qua homo a brutis distinguitur, abnegavi a me et conculcavi : *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

Quam viva hic, quam acute penetrans usque ad praecordia, hominis imago! *Visu imaginationis videre et considerare,* non animam quamcumque, sed *animam meam in hoc corpore corruptibili tanquam carcere seu ergastulo inclusam; et totum compositum,* ita ut nulla omnino sit mei pars quae non submergatur in dedecoris ac ignominiae abysso, *in hac valle tanquam exulans inter bruta animalia.* Hinc quis miretur stolidam hominis, quoad vera et nobilia bona ignorantiam ac caecitatem, siquidem *animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei?* Quid corpus hominis, ex eo momento quo per peccatum mortis poenam incurrit, nisi ani-

malis compacta caro, in qua latet spurcities, donec in putrido mortuorum sepulchro esca fiat vermium? Anima *in corpore corruptibili*, quod jam in vita carcer est, in sua libertate vulnerata, pristino omni decore spoliata, velut in atro et foetido per concupiscentiam loco includitur ac detinetur. Quid anima illa mea, nisi rea ipsa, ac totius mali et dedecoris auctor? Quod autem S. P. non tantum dicit : *visu imaginationis videre,* sed addit : *et considerare,* id ex duplici causa est, scil. primo, quia cum de re invisibili, qualis est spiritualis deformatio, agatur, non statim eam imaginatio sibi obsistit, sicut montem aut templum, aut aliam rem visibilem, sed majorem, ut vivide efformetur, laborem imago illa requirit; secundo ac praecipue, quia, pro scopo quem intendit, vult imaginem illam non efformari tantum, sed accurata ac profunda repraesentatione in omnem partem effingi.

Hinc mentem S. P. perfecte adsecutus dicendus est R. P. Roothaan, ubi notavit : « Vel solum hoc praeambulum copiosa potest » esse meditationis materia, in qua incipit » homo cognoscere seipsum, quis et qualis » sit. »

Secundum praeambulum

est petere a Deo Domino nostro id quod volo et desidero; petitio debet esse juxta subjectam materiam.

Id quod volo et desidero; quod jam in examine particulari adnotavimus, iterum hic adnotemus. Nam Deus, ut orationem exaudiat, exigit, non tantum ut tota voluntate velit homo id quod petit, quod non semper habet locum in rebus spiritualibus, utpote naturae plerumque repugnantibus, verum etiam ut ex corde desideret, quod quidem inflammatam divini servitii implicat voluntatem. « Magnum desiderium, ait Augustinus, ve- » hemens clamor est in auribus Dei. » Dixit et Angelus Gabriel Danieli : *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo; ego autem veni ut indicarem tibi,* QUIA VIR DESIDERIORUM ES (DAN. 8, 23). Ideoque verba haec : *quod volo, quod cupio, quod desidero* semper repetentur in praeambulis a S. P. Quid autem in secundo praeambulo petendum sit, indicat ipse his verbis : *Petitio debet esse juxta subjectam materiam.* Dum enim in oratione praeparatoria, idem semper petendum erit, nempe id quod

omnibus exercitiis commune est : lumen in intellectu, in voluntate autem gratiae vis et adjumentum, in secundo, vel tertio sequentium hebdomadum praeambulo, id petetur quod meditationi aut contemplationi competit. Id igitur, quia nunc res primum occurrit, exemplis S. P. illustrat quae ex prima, tertia et quarta hebdomada educuntur. Ex secunda vero nullum desumit propterea forsitan ut ne suspicetur quidem exercitans ea quae in illa hebdomada ab eo exigenda sunt, nempe *imitari Christum;* qua re etiam tota revelaretur ei series Exercitiorum, ac forte jam, ut pote nondum paratus, deterreretur; quamobrem prudenter, primum exemplum ex quarta educitur hebdomada, neque ex vitae gloriosae mysteriis in genere, sed de Resurrectione; secundum vero ex passione in genere; quae valde innoxia exercitanti videbuntur, nec ei, sic perturbato hebdomadarum ordine, ullam distributionis Exercitiorum suspicionem suscitabunt.

Jam si interrogas quid in hac de peccato meditatione petendum sit. « *Hic,* ait S. P., » *(in hac meditatione de peccatis) erit, petere* » *pudorem et confusionem meiipsius, cum videam* » *quam multi damnati fuerint ob unicum pec-*

» *catum mortale, et quam saepe ego meruerim* » *damnari in aeternum ob tam multa mea peccata.* »

Sicut nimirum *initium omnis peccati,* juxta Spiritum Sanctum, *superbia est,* ita juxta S. P. N., essentialis conditio et initium omnis conversionis voluntaria peccatoris humiliatio est. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. 4, 6); quod Christus Dominus parabola Pharisaei et Publicani egregie confirmavit et quasi ante oculos posuit.

Gradatim procedens S. P. in hac primi exercitii materia, quae, ut supra diximus, exercitantem per plures dies occupabit, ne verbum quidem in secundo praeambulo de dolore, de lacrymis dicit, sed indesinenter *pudorem* et *confusionem* inculcat, ut hi sensus intima praecordia invadant, nec ullo unquam vitae tempore inde possint evelli.

Via illa, qua ipse tanto cum fructu ambulavit, eum qui magnorum Exercitiorum capax est, ac proinde a quo magna expectari possunt, incedere vult Ignatius. Ipse enim apprime noverat omnia sibi bona ex intimo sui ipsius contemptu, atque ex pudore et confusione sui, obvenisse : noverat verum hunc sui

ipsius pudorem, non solum dolorem perfectum de peccatis, sed et desideratam humilitatem parere. Ubi enim confusio illa non adest, nec perfecta contritio, nec nativus constansque horror peccati, nec tandem sincera atque intima humilitas adesse poterunt; dispositio quidem ad confessionem necessaria possibilis erit in exercitante, minime vero sine intima illa confusione eximium quid ab eo poterit expectari. Neque satis exprimi reapse potest, quanti momenti sit ut *pudor* ille ac *confusio* animam penitus invadant, eam in posterum omnino possideant, atque exercitans ita de se erubescat et confundatur, ut rubor ille ac confusio nec evanescant, nec imminuantur unquam. Cum autem effectus ille et immensa Dei gratia sit, et non una meditatione aut una etiam die obtineatur, felix ille qui, postquam per tres dies se veluti immerserit in exercitium de tribus peccatis, ad felicissimum humiliationis propriae portum appellet.

Ast certo certius non appellet, nisi prius ex Fundamento profundissimum, tum infinitae Dei magnitudinis, tum proprii sui nihili sensum hauserit. Ex hoc enim sacer procedit coram infinita Majestate tremor ille et horror,

quo animae, sua sibi peccata opponenti, ad pudorem et confusionem certa via sternitur. Verbo, in abyssum proprii nihili descendendum est ad imum usque, ut in abyssum peccatorum descendi possit. Ideoque S. P., ubi de duratione Exercitiorum in quarta Annotatione agit, nullum certum dierum numerum primae hebdomadae assignat, sed majorem aut minorem, prout tardius aut citius *fructum proprium* inveniet exercitans, *juxta subjectam materiam*. Etenim *substantia festinata minuetur,* ait Spiritus Sanctus (Prov. 13, 11). Quapropter dum levioribus pro suo modulo leviora tradentur, ille qui integra peragit Exercitia, fructum omnem dum incedit, certo colligat oportet, si velit ad metam sibi praestitutam pertingere.

Quibus praemissis jam ad praeambulum, redeamus, methodumque S. Ignatii intimius scrutemur. Incipit igitur, ut diximus, S. P., non ab eliciendo de peccatis dolore, quod in secundo exercitio praestabitur, sed a *pudore et confusione,* cui profundius excitando unice insistit. Nec pudoris stimulum adhibet horrorem ipsi peccato insitum, qui postea in meditatione de propriis peccatis cum ingenti pudoris augmento animam invadet, sed solam

cum damnatis in inferno jam positis comparationem : *cum videam quam multi damnati fuerint ob unicum peccatum mortale, et quam saepe ego meruerim damnari in aeternum ob tam multa mea peccata.* At in quo pudor ille consistet? In eo nimirum quod exercitans, si mortalia peccata commisit, agnoscat et sentiat se daemonibus esse et innumeris damnatis inferiorem, qui vel unicum tantum mortale peccatum, vel pauciora, quam ipse feci, commisere. Cui soli comparationi funditus revolvendae inhaerebit qui sancti Ignatii mentem intelliget ac sequi volet. Quid enim daemone ac damnato ignominiosius ac miserabilius, nisi qui ignominiosam magis, ac multo terribiliorem damnationem meruit? Is autem ego sum. Descendam igitur in infernum; mente infra daemones omnes atque innumeros damnatos descendam, dicamque : hic locus meus est; hoc promerui, ibique a multis forte annis degerem sempiterno opprobrio ac aeternis cruciatibus devotus, si me divina justitia sicut illos omnes tractasset, finiendo vitam meam. Quid igitur damnatos inter et me discriminis est, nisi quod indebitam erga me Deus exercuit misericordiam? *Misericordiae Dei, quia non sumus consumpti.* Ego enim

verissime aliud jam nihil sum, nisi e profundo lacu ereptus, compedibus daemonum solutus atque ab imo inferni ergastulo subtractus malefactor. Et quidem si recogito a quo fuerim inde subtractus et ereptus, en Filius ipse Dei mihi apparet, in cruce moriens suoque meum supplicium commutans; qua ex re merito crescit in infinitum mihi pudor et confusio, consideranti quo mea malitia devenerit, ut scilicet Deum ipsum, qui me redimeret, ad ignominiosissimam simul et crudelissimam mortem condemnaverim. Haec ipse quidem propter me passus est, ego vero... Qui hoc intime, adjuvante gratia, scrutatus fuerit, aeterni pudoris abyssum inveniet, quam abyssum invenerat Ignatius, unde insatiabilis ejus contemptuum et opprobriorum fames. Noverat quippe Deum, et noverat seipsum. — Et me, Deus, illumina. *Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*

Explicationem praeambulorum extendimus, non ut eam in praxim omnium exercitiorum inducamus, sed ut quanta lateat ibi substantia lector advertat, et ut sequentibus diebus majori cum fructu fiant praeambula.

De prima materia

in primo Exercitio proposita

Hoc titulo exprimimus Exercitium, quod primum in libello nominatur, et non uno tractu, ut supra ostendimus, sed per partes cum repetitionibus erit absolvendum, servatis semper in singulis exercitiis iisdem praeambulis et colloquiis.

Et revera tum primum punctum, exercitiis primae diei abunde sufficit, tum secundum pariter et tertium commodissime proprium sibi diem obtinebunt. Quantum vero exinde optatissimus ille pudor, quantum confusio incrementum, illudque durabile, sint acceptura, quis non intelligat? *Fili hominis, fode parietem. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum. Et dixit ad me : Ingredere, et vide abominationes pessimas* (Ezech. 8, 8). Quid si secundo, quid si tertio dicat tamquam missus a Deo Ignatius : *fode parietem,* et nova inde atque iterum nova ostia aperiantur, quae ingressus exercitans, turpiores continuo abominationes reperiens, magis ac magis pudore et confusione perfundatur? Quam bene tunc ad

dolendum ex amore parata erit anima? Quam ad gratias ac dona a divina Bonitate, quae humilibus dat gratiam, suscipienda invenietur idonea.

Totam de peccato Angelorum materiam sic S. P. exponit : *Trahere memoriam super primum peccatum, quod fuit Angelorum, et deinde super idem intellectum, discurrendo; deinde voluntatem, volendo totum illud memorari et intelligere, ut magis erubescam et confundar, trahendo in comparationem unius peccati Angelorum tam multa peccata mea; et (considerando) cum illi ob unum peccatum iverint in infernum, quam saepe ego hoc idem meruerim ob tam multa. — Dico trahere in memoriam peccatum Angelorum, (scilicet), quomodo, cum essent creati in gratia, nolentes se adjuvare ope suae libertatis, ad exhibendam reverentiam et obedientiam suo Creatori ac Domino, devenientes in superbiam, conversi fuerint ex gratia in malitiam, et de caelo ad infernum praecipitati; et consequenter discurrere magis in particulari per intellectum, et consequenter movendo magis affectus per voluntatem.*

Haec igitur exercitiorum primae diei sit materia, quam tamen antequam in varia exercitia distribuamus, videntur quaedam praenotanda.

Sicut superius S. P. methodum in iis quae meditationem ipsam praecedunt tenendam proposuit, ita et nunc instituendae per puncta meditationis modum edocet. Tres nimirum animae potentiae, memoria, intellectus et voluntas sunt applicandae, vel potius, ut ait, *trahendae;* nec immerito dicit esse trahendas; nam nativae hominis independentiae repugnat praescriptus facultatum suarum usus; repugnat enim ejus libertati cogitationes quae sibi placent ita rejicere, ut in unum totam animae suae vim convertat : item constanti attentione tempore praesertim ariditatis, mire defatigatur; tandem, et hoc caput est, abhorrent nobilissimae illae facultates ab humiliatione, a confusione et a tristitia. Jam vero, quid abjectius ac tristius quam, turpium peccatorum recordatione, coeno se immergere ac foetorem magis ac magis spirare et absorbere? Scilicet nihil boni, in hac maxime re, fit sine labore, nihil sine vi, nihil sine dolore.

Ac primo quidem, memoria, exercitii materiam revocando, intellectui et voluntati laborem parat, in quo se exerceant. Secundo vero intellectus discurrit; tertio voluntas exercetur. Quo in exercitio voluntatis distinguenda duo sunt, nimirum imperium et affec-

tus. Voluntas enim quatenus imperat, simultane cum memoria et intellectu operatur, utramque hanc facultatem ad serviendum coercens : *volendo totum illud memorari et intelligere;* quod imperium maxime sentiatur oportet, tempore praesertim spiritualis desolationis. Ubi autem, imperante voluntate, memoria et intellectus vim suam totam, exeruere, voluntas ipsa, illuminante jam et ducente intellectu, sponte et ex sese operatur, affectusque, qui fructus tanti laboris sunt, elicit; quam rem in fine primi puncti pariter exprimit S. P. : *et consequenter movendo magis affectus per voluntatem.* In quibus vox *magis* supponit etiam in operationibus intellectualibus affectus interfuisse; verumtamen in fine, puri affectus, postquam creverunt, erumpunt. Qui cum maximi momenti sint, non eum tamen valorem haberent nisi profunda in intellectu convictio praecessisset; quandoquidem leviter commotae voluntatis affectus non nisi levia, ac cito delenda imprimit vestigia, ubi leviter tantum illustratur nec intime convincitur intellectus. Atque idcirco S. P. voluntatem imperare prius jubet, et in fine tantum ex professo affectus elicere. Idem concionatoribus nostris observandum, si egregios

ac duraturos fructus velint in auditorum animabus producere.

Ad quid igitur in hoc exercitio improbus facultatum labor? an ut dolorem de peccatis et lacrymas eliciam? Nequaquam, sed, juxta S. P., *ut magis* (scilicet magis ac magis, dum progredior) ERUBESCAM ET CONFUNDAR, *trahendo in comparationem unius peccati Angelorum tam multa peccata mea : et (considerando) cum illi ob unum peccatum iverint in infernum, quam saepe hoc idem meruerim ob tam multa.*

Verba omnia hic sunt ponderanda. Iterum repetitur vox *trahendo,* estque ad omnia quae sequuntur applicanda. Repetitur autem de industria, ut sentiat exercitans indefessum a se requiri laborem, atque ipsi pro se contra se fortiter esse agendum. Dixi *contra se;* nam de re hic agitur, quae naturali superbiae incredibiliter repugnat : scilicet, quod non simpliciter infra daemones omnes homo se ponat, sed et tanto se iis pejorem agnoscat ac sentiat, quanto saepius ipsis peccavit. Scilicet, cum in illis *unum* sit peccatum, in me vero tam multa, ut sciam quis fuerim, et quo ignominiae per tot abominationes descenderim, toties erunt malitia et horror daemonum mihi multiplicanda.

Tota igitur vis hujus puncti in illa comparatione consistit; non vero jam in consideranda intrinseca peccatorum meorum malitia. Cum nempe angelus malus ob unicum peccatum factus sit abominabilis, omni odio, omni infamia dignus, ac terribili supplicio in aeternum devotus; ego autem non unius, ut ille, sed multorum peccatorum reus sim; verissime daemonibus sum detestabilior, majorique infamia et supplicio dignus. Quae consequentia ut intime sentiatur, requiritur profecto ut praemissae cor vehementi horrore prius repleverint, quo oculos in seipsum convertat exercitans, pudoremque, confusionem, et profundissimum illum, quem S. P. intendit, humilitatis sensum concipiat.

In punctis meditationum paucis multa substantialia S. P. perstringit, ut exercitans pro sua capacitate a directore adjutus, plura ipsemet cum majori gustu inveniat, discurrendo, ut ait, *magis in particulari.*

Prima dies

PRIMUM EXERCITIUM

ANGELORUM CREATIO ET FINIS, — PROBATIO ET LAPSUS, — TRANSFORMATIO.

Oratio praeparatoria et praeambula fiant ut supra dictum est.

Primum punctum. — *Angelorum creatio et finis.* Considerabo quomodo Deus per infinitam suam potentiam illico innumerabilem illam angelicorum Spirituum multitudinem ex purissimo in eos amore eduxerit e nihilo. Fecit eos meros spiritus ad imaginem et similitudinem suam pulcherrimos, mirabili intellectu praeditos; nec tantum alios aliis omnes splendidiores in novem choros hierarchice distribuit, sed et in caelo ipso creatos ad supernaturalem gratiae statum a creatione evectos voluit : *cum essent ipsi creati in gratia,* ait S. P.; filios suos adoptivos eos effecit, suosque proinde in aeternum heredes. Quid illa creatione pulchrius? Quid

cum angelica pulchritudine comparari potest? Quanta ergo divini in Angelos amoris magnificentia! Nec tamen est cur Angelis invideam. Etenim Angelos quidem caeli incolas Deus fecit, hominem autem terrestris paradisi; sed hunc futurum etiam incolam caeli esse voluit; Angelos quidem puros spiritus creavit, hominem autem spiritum simul et carnem; sed si *seminatur corpus animale, surget spirituale* (1 Cor. 15, 44). Cetera vero nobis sunt cum Angelis ipsis communia. Etenim me quoque ad statum gratiae supernaturalem evectum, filium suum fecit adoptione, me divinae fecit *consortem naturae,* heredem suum et coheredem Filii sui. Immo et humanam naturam, non tantum in caelo angelicae commiscebit, sed et infinite in Filio suo illa superiorem effecit; et Filii sui Matrem, quae mera creatura humana est, Angelorum Reginam constituit.

De homine igitur si secundum naturam Psalmista dixit : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis* (Ps. 8, 6), secundum gratiae et gloriae ordinem dici posset : non solum Angelis eum coaequasti, sed et super illos exaltasti. Hinc quanta mea esse debet erga meipsum reverentia, quantus meus in Deum amor! Quis

jam miretur Angelos ipsos custodes hominum effectos? *Quid est homo, quia magnificas eum, et apponis erga eum cor tuum?* (Job, 7, 17).

Finis Angelorum. Etiam de Angelis dici debet : Angelus *creatus est ut Deum Dominum suum laudet, ei reverentiam exhibeat, eique serviat, et per haec se salvet;* idque propter easdem omnino rationes quae hominibus propriae sunt. *Universa* quippe *propter semetipsum operatus est Dominus.* Cum enim essent Angeli intellectu praediti ac libero arbitrio, ipsis incumbebat ut Deum, quem tam praeclare noverant, ut Creatorem suum ac Dominum absolutum agnoscerent, eumque tantopere erga se liberalem, cum amore laudarent atque ab eo in omnibus voluntarie ac libere penderent.

Quae omnia, non tantum justa, sed et honorifica, immo et facilia ipsis videri debebant, quippe qui esset naturalis finis Angelorum, antequam confirmarentur in gratia.

Sed et ultimus finis eis erat praestitutus, videlicet, salus aeterna, quae ipsis, sicut homini, a fine proximo pendebat. Cum enim non potuissent esse a se Angeli, id enim soli Deo competere potest, bonitatis divinae consilio concessum illis est ut suam saltem aeternam salutem et gloriam quodammodo a se, a sua

nempe erga Deum fidelitate, tenerent. Ideoque eis et libertatem et gratiam Dominus elargitus est. Quis non miretur, inter eos tam mire illuminatos ac tot gratiis ornatos exstitisse aliquos, immo magnum numerum qui misere lapsi sint? At si in Angelis Deus *reperit pravitatem,* quid mihi non timeam, qui et multo fragilior sum et majoribus periculis expositus? *Cum timore et tremore salutem vestram operamini* (PHIL. 2, 12). — *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* (1 COR. 10, 12).

Secundum punctum. — *Angelorum probatio et lapsus.*

Angelos, ut suam erga Deum reverentiam et obedientiam testarentur, subjici oportuit suae libertatis experimento, cui si se pares exhiberent, confirmarentur in gratia, aeternamque gloriam consequerentur. Erant enim in via. Experimentum autem illud, juxta satis communem sententiam, fuit in eo situm quod futuram Verbi Incarnationem Deus eis revelavit, hujusque mysterii fidem et Illius qui in persona Verbi Deus futurus esset simul et homo adorationem imperavit. Sic et intellectu et voluntate Deum ut Dominum agnoscerent eique libere ac spontanee servirent. *Adorent eum omnes Angeli ejus* (HEBR. 1, 6.)

Neque censenda est fuisse haec tentatio ex parte Dei, sed necessarii praecepti declaratio. Ex parte vero Angelorum orta est tentatio; tentata nimirum eorum humilitas est. Magna enim in eis, ut obedirent, requirebatur humilitas, tum intellectus, ut crederent non dedecere Divinitatem tantam Verbi Dei exinanitionem, tum voluntatis, ut Verbum Incarnatum adorarent. Ex hoc autem capite vehementior erat tentatio, quod Christus, ut homo, ipsis natura futurus esset inferior : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis;* neque hoc tantum; sed, praetermissa natura angelica, ad ipsum thronum Dei sublimanda erat humana in Christo natura; immo et gloriosissima Christi Mater, quamvis mera esset haec creatura, supra choros omnes Angelorum exaltanda. Atque hinc etiam apparet cur haeretici, qui omnes filii sunt diaboli, cultum divae Virginis et respuant, et odio habeant.

Sapientissima haec Dei consilia longe major pars Angelorum reverita, Deo se humiliter subjecit. Alii autem iique permulti propria sua intellectus et voluntatis excellentia excaecati, prudentiores se Deo existimantes ac se ei praeferentes, obedientiam Creatori suo ac Domino detrectarunt. Quorum peccatum egre-

gie exprimit S. P. : *Nolentes adjuvare se ope suae libertatis ad exhibendam reverentiam et obedientiam suo Creatori ac Domino.* In hac enim voce *nolentes* tota peccati essentia et malitia continetur, quae in rebellione voluntatis creaturae contra voluntatem Creatoris consistit : Deus vult, nolo ego. Videlicet : *Initium omnis peccati superbia.* Vidimus enim in Fundamento, divinum servitium inniti reverentiae, atque ex ea quasi sponte fluere. Jam vero hanc reverentiam sanctumque Dei timorem tollit superbia, quae, ubi creverit, in omnimodum ac consummatum excessum deveniens desinit in rebellionem ac perfectam independentiam. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper* (Ps. 73, 23). Primus igitur peccati angelorum superbiae gradus, qui communis est omnibus peccatis, et in specie peccato primorum parentum nostrorum, in eo constitit, quod negaverint Deo *reverentiam et obedientiam ;* secundus autem gradus, qui omnium peccatorum maximum est, et ex quo quaecumque peccata, tanquam ex fonte proprio, profluunt superbia illa fuit, quam duabus vocibus exprimit S. P. : *devenientes in superbiam,* non illam superbiam quae cuicumque inest peccato, sed illam, quae,

omnis dependentiae erga Deum excusso jugo, in Deum insurgit eique bellum intentat. De eadem hac superbia agit S. Ignatius in tertio puncto prioris partis meditationis de duobus vexillis, quae quoad rem in nullo differt ab hodierno nostro liberalismo, qui orsus a Lucifero, omnem divinam legem solvit, omnia jura Dei conculcat, et independentiam profitetur, ut ruat in vitia omnia desinatque in atheismum. Cui malo ut occurrat S. Ignatius, nihil non movet in Exercitiis, quo inculcet humilitatem homini; immo ut videbimus, universa in hunc finem direxit Exercitia.

Tertium punctum. — *Lapsorum angelorum transformatio,* quae a S. P. breviter, more suo, ita indicatur : *Quomodo conversi fuere ex gratia in malitiam;* non tantum enim gratiam sanctificantem, sed et qualemcumque gratiam amiserunt, factique sunt omni sub respectu abominabiles. Transformatio autem illa, unico eo momento quo plenum peccato consensum dedere, consummata, quanta fuit, et, quam horribilis mutatio! Ex angelis daemones subito facti sunt, ex amicis Dei valde odiosi inimici, ex pulcherrimis teterrimi, ex amabilibus execrabiles et terribiles, ex bonis spiritibus mali et nequam, ex amantibus odium

spirantes, ex mitibus rabiosi, ex simplicibus maligni, omne bonum odio habentes et omnis mali incitatores. Nec sibi tantum mali, nam per se, vel per asseclas suos, suam hominibus malitiam omni ope atque opera infundere conantur, ut et ii pariter a gratia excidant. Is unici etiam peccati venenatus effectus. Horribiles autem Angeli illi adeo sunt, ut prae tremore vixnon moriantur ii, quibus sub forma aliqua sensibili appareant. Eoque deformitatis pulcherrimi olim illi spiritus prolapsi sunt, ut, cum Jesus jamjam esset eos e possessis corporibus ejecturus, facultatem corpora porcorum ingrediendi ipsimet petierint; qua obtenta, *exeuntes abierunt in porcos; et ecce impetu abiit totus grex praeceps in mare* (Marc. 5, 13). Ergo unicum peccatum mortale eos qui naturae humanae inviderant eamque in Christo contempserant, ita deturpavit, ut a conditione nobilissimorum angelorum dejecti ad sordidissimarum belluarum statum eos redegerit!

Quod vero in angelis peccatum operatum est, hoc et in me operatur : *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Hinc fit ut definiatur a Spiritu sancto impudicus :

Sus lota in volutabro luti (2 Petr. 2, 22); princeps autem impius, *leo rugiens et ursus esuriens* (Prov. 28, 15); qui se Deo subducit ut ruat in vitia, *equus et mulus* camo et freno constringendus : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. In camo et freno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te* (Ps. 31, 9); *canis reversus ad vomitum.* (2 Petr. 2, 22).

Hoc tamen angelos inter et me discriminis interest, primo quod diabolica turpitudo exterius partim saltem jam revelata est, mea autem soli Deo est spectabilis, post mortem tantum omnibus cum ingenti stupore futura visibilis; secundo, quod toties angelorum, qui unicum peccatum commisere, turpitudo in me sit multiplicanda, quoties Deum mortaliter offendi. O pudoris abyssus!

Tetram et horribilem damnatorum angelorum multitudinem visu imaginationis contemplare. En quo ducit superbia! Eminet inter malos illos spiritus dedecore ac turpitudine angelus ille pulcherrimus olim inter ceteros, Lucifer (1), qui dicebat; *Ascendam...*

(1) Nomen istud superbi regis Babylonis duci rebellium Angelorum solet accommodari.

et similis ero Altissimo. Et ego forte in Deum insurrexi; vel saltem centies aut millies turpibus cogitationibus, verbis, actibus me inquinavi. *Erubesco tanquam reus, culpa rubet vultus meus, supplicanti parce Deus.* Quid enim si turpitudinem vitae meae, qualem videt Deus, et homines viderent! *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me. Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae. Miser factus sum et curvatus usque in finem : tota die contristatus ingrediebar... Afflictus sum et humiliatus nimis : rugiebam a gemitu cordis mei* (Ps. 37, 4. sq.). O execranda superbia, peccatorum omnium mater simul et filia, quae ubi peccata peperit, peccatis alitur et peccatis increscit! O flos foetidus et infernalis, qui in fimo enascens, in fimo germinat, fimo multiplicatur et grandescit! Quo enim quis fit sordidior, eo fit et superbior. Sola igitur tuta et secura ad vitam et salutem via est, in humilitate veritas; atque ideo Lucifer damnatus est, quia *in veritate non stetit* (Io. 8, 44); *nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum.* (Matth. 18, 3).

Colloquium

Celebre illud colloquium juxta mentem S. Ignatii, in fine fiet omnium exercitiorum de triplici peccato, ita ut cum crescente semper sensu exercitia illa in monte Calvarii ad pedes morientis Jesu terminentur. Sic, admirabili dispositione, fit, ut terrore atque horrore plenae meditationes de peccatis in misericordia conquiescant et in filiali fiducia; sic et via paratur ad dolorem de peccatis ex amore, et ad lacrymas.

Non inde tamen conjicias hoc unice aut etiam maxime intendisse Ignatium, ut amorem erga Christum crucifixum excitaret; in tota enim hac de triplici peccato meditatione, et in ipso finali colloquio, intendit, ut pudor potius et confusio magis ac magis ad finem usque concrescant. Unde huic maxime sensui provocando in hoc colloquio est insistendum. Post secundum de propriis peccatis exercitium, obtentis jam pudore et confusione, colloquium fiet de mera misericordia : *colloquium misericordiae,* in ordine videlicet ad amorosum dolorem et ad lacrymas. Fundamentum autem prius ponendum vera humi-

liatio est; ex humilatione dolor cum amore procedet. Erraret igitur et a mente S. P. N. recederet, qui colloquium illud ad solam compassionem erga Christum morientem et ad ciendas lacrymas positum existimaret; quae quidem utilissime et quasi sponte excitabuntur; sed scopus a S. P. directe intentus hic est, ut ad extremum pudor et confusio deducantur. In hoc enim primo Exercitio anima ex comparatione suorum peccatorum cum peccatis angelorum damnatorum ad id adducta est, ut se infra daemones omnes qui unicum commisere peccatum, et infra innumeros alios damnatos deprimat, qui vel ob unum peccatum vel ob pauciora quam ipsa commisit, in aeternum sunt damnati. Hinc ingens pudor et confusio, ac proin magnum odium sui, in quo via est ad amorem Dei. In colloquio autem cumulus humiliationi accedit, cum de tormentis quae meruit plene convictus, videt peccator Christum Dominum nostrum, ipsumque innocentissimum Dei Filium, poenam, quam sustinere ipse pro peccatis suis debuerat, subire, et a divina justitia dirissimo crucis supplicio addici : qui pudor propter Filii Dei infinitam dignitatem deberet esse infinitus. Quis enim, etiamsi sceles-

tissimus, sine intolerabili confusione, spectaculum regis aut patris sui, pro suis propriis in regem aut patrem commissis flagitiis in supremo ignominiae et doloris supplicio animam agentis toleraret? Hoc vero spectaculum Regis regum et Domini Dominorum, qui et Pater est amantissimus, ob oculos peccatoris ponit Ignatius, illudque vividissimum atque actu praesens : *Imaginando Christum Dominum nostrum praesentem, et in cruce positum, colloquium cum ipso instituere.* At certe nisi bonitas ipsius Jesu pro eo morientis intercederet, ne alloqui quidem Dominum in cruce positum prae pudore peccator auderet. Atque inde colloquium totum est interrogatio stupore plena; *quaerendo a Jesu moriente quomodo Creator cum esset, eo devenerit, ut hominem se faceret, et ab aeterna vita venerit ad mortem temporalem, et ita ad moriendum pro meis peccatis.* Responsum tacetur, utpote quod sponte exilit e corde peccatoris : misericordiae Cordis Jesu, quia non sum consumptus : Me, me turpissimum peccatorem dilexit et tradidit semetipsum pro me. Hinc pudor, hinc etiam amor, pudoris fructus.

In altera parte colloquii, interrogat iterum peccator, sed seipsum, ut tanto Christi amori

suam opponat malitiam et atrocissimam ingratitudinem, atque ita in ima turpitudinis suae demergatur abysso, sibi ipsi indignetur, odio in se ardeat, saeviat in se, et Christo amorem rependat. Cui triplici interrogationi tanta cum simplicitate et unctione positae non respondet quidem S. P., respondebit vero discursus et affectus :

Inspiciendo meipsum, scilicet intime me intuendo ut me qualis reapse sum agnoscam, atque deprimar ad imum.

Percontari ex me. 1. *Quid egerim ego pro Christo;* ipsum, scilicet, vel mortaliter saepius, vel venialiter assidue offendi, ita ut tota vitae meae tela sit vitiis conspurcata. 2. *Quid agam pro Christo;* si forte in statu peccati sum, quanta confusio! Si autem, ut spero, peccata remissa sunt, quid facio ad ea in me vindicanda? Quis est meus in Christum amor, quae mea fidelitas ac liberalitas? Quanta mea infamia si peccatorum antea commissorum, quia Christi sanguine deleta sunt, obliviscor! 3. *Quid agere debeam pro Christo.* Scilicet vitam integram pudori, dolori, amori devovere, vindicare in me factas Christo injurias, poenitentiam non internam tantum, sed et externam exercere.

Non absque consilio, scilicet, ut telum pudoris, doloris atque amantis indignationis profundius cordi infigatur ac semper remaneat, meditantis oculos a seipso in Christum iterum erigit Ignatius, iterumque cum admirabili simplicitate et cum unctione valde penetrabili, Jesum morientem magis ac magis praesentem exhibet; *atque ita videndo illum* talem, et ita fixum *in cruce, discurrere per ea sensa quae se obtulerint.*

Dein quae sit colloquiorum natura, quae species, semel pro semper S. P. exponit, idque tam nitide ac complete ut nullam omnino communicationis animae cum Deo formam praetermittat. *Colloquium fit proprie loquendo, sicut amicus loquitur ad alterum, vel servus ad dominum suum, modo petendo aliquam gratiam, modo incusando seipsum mali alicujus commissi, modo communicando res suas et petendo consilium in illis. Et dicatur in fine, Pater noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

POENAE PECCATI ANGELORUM.

Solita oratio praeparatoria.

Eadem erunt praeambula ac in praecedenti exercitio.

Punctum primum. — *Amissio caeli : de caelo praecipitati.*

Considerabo quantus fuerit malorum angelorum stupor ac desperatio, cum se subito ex formosis Angelis in teterrimos horribilesque daemones mutatos viderunt : quanta eorum ignominia ac rabies, cum se non immediate a Deo, sed, ad majorem suam confusionem, per ipsos confratres suos e caelo deturbatos senserunt; quantus dolor, quanta invidia, cum bonos Angelos confirmatos in gratia, et ineffabili ac nunquam amittenda gloria fulgentes conspexerunt! Omni jam illusione tentationis sublata, et scelus suum confitentes, desperabundi ac blasphemantes, clamaverunt : *Ergo erravimus.*

O quam terribilis vox divinae justitiae : *Discedite a me, maledicti!* Ergo, actum est de

gaudiis, de felicitate, de gloria caelesti. Amiserunt Deum, bonum infinitum, atque in aeternum amiserunt; sors autem eorum jam erit omne malum, haud secus ac quando Deus maledixit terrae, terraque non amplius ex se nisi tribulos et spinas germinavit; aut quando maledixit coaevis Noe, genusque humanum aquis diluvii exterminatum est; aut quando maledixit impudicis quinque civitatibus, easque ignis de caelo redegit in cineres; aut quando Christus maledixit ficui, quae illico arefacta est.

Quid igitur superbia sua mali angeli, nisi horrendam ignominiam atque inferni tenebras obtinuere?

Sic decipit omne peccatum; nam omne peccatum mendacium est. *Filii hominum usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium* (Ps. 4, 3)? Sperat ex superbia sua superbus gloriae splendorem, et pro falso splendore reperit ignominiam. Sperat ex sua impudicitia luxuriosus felicitatem; invenit autem pro felicitate crudeles conscientiae remorsus, abjectionem animi et ignominiam, desperationem, et voluntariam quandoque ex desperatione mortem atque infernum. O peccatoris caecitas! Quam saepe mea haec

caecitas fuit! *Lassati sumus in via iniquitatis* (Sap. 5). — *Vanitas vanitatum et omnia vanitas* (Eccle. 1, 2), praeter amare Deum, bonum infinitum, eique servire. Ita sentiebat Augustinus a falsitate ad veritatem conversus. « Fe- » cisti nos, Domine, ad te, et irrequietum » est cor nostrum donec requiescat in te. »

Secundum punctum. — *Inferni creatio. De caelo in infernum praecipitati.* Eousque omnia Dei opera ex sola ejus bonitate prodierant; caelum empyreum seu paradisum in gratiam Angelorum e nihilo eduxerat, ipsos beatos Spiritus ex purissimo amore creaverat, quos aeterna gloria et felicitate donaret. At ubi, duce Lucifero, Angeli, finis sui obliti, non tantum laudare revererique Deum ac Dominum suum, eique obtemperare recusarunt, sed et in superbiam atque independentiae jactantiam devenientes adversus eum frendentes rebellarunt, justo eos judicio Deus irrevocabili decreto ad aeterna damnavit supplicia. Tunc solum divina justitia et omnipotentia infernalem gehennam creavit et accendit. Immensum illud stagnum ignis contemplans, aeternis tenebris offusum, in quo bonum nullum, mala omnia, considerabo satanici peccati gravitatem et malitiam.

Quanta peccati illius fuisse malignitas censenda est, ut infinitae bonitatis Deus angelos tot praeclaris dotibus ornatos ac tantopere dilectos tantis devoverit suppliciis? *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum* (MATT. 25, 41). Coram tam terribili divinae justitiae sententia quis non contremiscat? Angelis Deus non condonavit, nec condonationis occasionem dedit : *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* (2. PETR. 2, 4). Quare non pepercit? Quare rebelli Adamo et posteris ejus Redemptorem promisit, non autem Angelis? Graviter quidem Adam deliquit, sed quamvis peccati ejus initium fuerit superbia aliqua, peccatum tamen illud in inobedientia et sensualitate constitit : angelorum autem iniquitas tota fuit eaque consummata superbia et in divinum dominium plena rebellio : adde quod prae Adamo multo perfectius angeli Deum noverant.

Hinc apparet quanto Deus odio superbiam prosequatur, quippe quae in contemptum et odium divinae suae Majestatis desinat eique bellum indicat, quod omnium peccatorum maximum est. Hujus autem sceleris hodiedum sectarum occultarum duces, ac rationa-

listarum et liberalium antesignani, rei conspiciuntur; unde mirum videri non debet, quod iis fructus Redemptionis raro applicentur, et Luciferi imitatores ac filii in suis peccatis moriantur.

At si, alio sub respectu, me cum malis angelis conferam, quamvis forte in illam consummatam superbiam non devenerim, turpiora mea esse peccata inveniam : angelus enim semel tantum peccavit, ego vero multoties; sed, quod infinite majus est, angelus Redemptorem non habuit; ego vero peccavi postquam Jesum cognoveram Redemptorem, qui, cum aeternus Dei esset Filius, caro factus, totumque suum effundens in cruce sanguinem, *mihi se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in praemium. Quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci* (Is. 5, 4)?

Et haec sciens, Christum pro me crucifixum centies forte aut millies, quasi ludens ac ridens, rursum in corde meo peccatis meis crucifixi. Nec revera videri mihi jam mirabile potest quod S. Petrus, postquam dixit Angelis Deum non pepercisse, eos affirmaverit qui fide suscepta iniquitati se tradunt, multo majoris sceleris reos ac terribilioris

supplicii dignos esse quam fuere angeli : *Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos; magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes* (2 PETR. 2, 9, sq.); deinde vero peccatum angelorum, qui in spiritu et cum specie fortitudinis deliquerunt, cum execrabili peccati carnis turpitudine comparans, sic pergit : *Hi vero, velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem et in perniciem in his quae ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem injustitiae, voluptatem existimantes diei delicias; coinquinationis, et maculae deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti : pellicientes animas instabiles... Hi sunt fontes sine aqua, et nebulae turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriae eos qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur* (2 PETR. 2, 9, sq.). Atque demum effrenatae, quam parit superbiae rebellio, luxuriae per Spiritum Sanctum descriptam imaginem, necnon ejus fallaciam ac turpitudinem accipe : *Libertatem*

illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis : a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus... Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum; et : *Sus lota in volutabro luti* (2 Petr. 2, 19, sqq.). O quanta mea vilitas ac ignominia est! quantum infra daemones ipsos tanta vitae meae turpitudine me abjeci! Ergo vox Adam multo magis mea sit : *timui et abscondi me.* Quantus enim profecto esset pudor meus, quanta confusio, si notis meis et conviventibus ignominiosa vitae meae mysteria publice revelarentur! At vero coram ipso Domino quid sum, nisi sepulchrum foetore peccatorum graveolens, sed nive, dum vivo, dealbatum? Ego autem si, sicut Deus me cognoscit, meipsum cognoscerem, sufferre me non possem et incredibili odio in me arderem.

In fine idem colloquium, et *Pater noster.*

De repetitionibus

In nullo, nisi quoad materiam meditationis, differt a ceteris hoc exercitium; scilicet :

habentur et hic solita oratio praeparatoria, eadem praeambula cum finali colloquio triplici... *Post orationem praeparatoriam et duo praeambula, erit repetere primum et secundum Exercitium, notando, et moram faciendo in iis punctis, in quibus senserim majorem consolationem, vel desolationem, vel majorem sensum spiritualem.*

Tantus est S. P. in praescribendis repetitionibus, ut usque ad imam animae partem et convictio et affectus perveniant, atque ibidem radices agant nunquam perituras. Scopus enim ejus non est mentem multa ornare scientia, sed ad sanctitatem solide informare. Jam vero, ut ait in annotatione 2ª, *non abundantia scientiae satiat animam eique satisfacit, sed sentire ac gustare res interne.* Ideo non superaddit exercitia exercitiis, sed pauca eaque valde substantialia proponit, ut per magnam ad singula applicationem et per repetitiones perfecte decoquantur et totam insitam sibi vim exerant. Summi enim momenti est, ut fructus omnis ex singulis ramis colligatur, nec ullus in arbore relinquatur non decerptus.

Vult nimirum, si quidem de repetitione agitur, ut singula praedictorum duorum Exercitiorum puncta suo ordine recolantur; non

autem, quod ob nimiam materiae abundantiam esset impossibile, ut singulis, sicut in ipso primum meditando exercitio factum est, insistatur. Nimirum tribus tantum rebus insistendum est : primo, iis in quibus majorem consolationem senserim, ut quae animam moverunt, eam magis ac magis moveant, et sic totus fructus possibilis colligatur; secundo, iis in quibus majorem desolationem senserim, ut fructus quos prius non inveni, tandem inveniam, et sic omnia finem intentum consequantur; tertio, iis in quibus majorem qualemcumque animi commotionem, affectionem, sensum spiritualem habuerim, ut nimirum sensus ille totam animam invadat eamque intimius et durabilius perfundat.

TERTIUM EXERCITIUM

EST REPETITIO PRIMI ET SECUNDI EXERCITII FACIENDO TRIA COLLOQUIA.

Post orationem praeparatoriam et duo praeambula erit, repetere primum et secundum Exercitium, notando et moram faciendo in iis punctis, in quibus senserim majorem consolationem, vel desolationem, vel majorem sensum spiritualem. Post quae faciam tria colloquia eo modo qui sequitur.

In unam tantum diem congessit S. P. integram primae hebdomadae materiam, a Directore, ut diximus, in octo vel amplius dies distribuendam. Sic enim paradigma singulis hujus hebdomadae diebus servandum proponit, ut scilicet fiant duo exercitia, dein duae repetitiones illorum exercitiorum, et tandem ad eadem vespertina sensuum applicatio. In duobus illis matutinis Exercitiis, quamdiu in triplici peccato et in peccatis propriis versantur, eadem praeambula fiant; quod et de repetitionibus dicendum. Non vero item de colloquiis. Pro primo enim et secundo diei

exercitio, ubi de triplici peccato agitur, colloquium fit cum Jesu crucifixo; ubi autem meditatio fit ex Exercitio de peccatis propriis, fit colloquium misericordiae ibidem indicatum. Ast in repetitionibus, quod ad varietatem etiam confert, non illa jam fiunt colloquia, sed triplex illud quod post tertium Exercitium a S. P. descriptum est. In quo mire tendit S. P. ad finem quem primae hebdomadae praestituit, qui in prima Annotatione sic exprimitur : *praeparare et disponere animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas.*

Ad hoc autem prius per Exercitia de triplici peccato et de peccatis propriis, tollenda sunt peccata, saltem mortalia. Nec tamen idipsum ad finem intentum sufficit; tollenda enim pariter sunt peccata venialia et omnes affectiones inordinatae. Jam vero in triplici repetitionum colloquio S. P. et ad tollenda peccata et ad eorum odium excitandum prima, quae petitur gratia, adlaborat; in secunda autem inordinatas affectiones omnes adoritur; in tertia tandem, in qua mundanorum omnium horrorem incutit, occasionem ipsarum inordinatarum affectionum e medio penitus tollit.

Colloquia illa celeberrima sunt, atque eorum forma frequenter in reliquo libello usurpabitur. Optime notat P. Roothaan ea esse in fine praesertim meditationum adhibenda, sive motus occurrerit, sive non ; « neque enim, » ait, colloquia omittenda sunt ob desolatio- » nem, immo vero in ariditate magis etiam » illis insistendum est. » Atque in hoc mentem S. Patris illustrat, liberalitatem ac fidelitatem erga Deum semper commendantis, mutationem in desolatione fieri vetantis, plurisque vim voluntatis quam sensibilem devotionem facientis.

Colloquia illa, cum crescente semper pro dignitate personarum reverentia, primo ad sanctissimam Dei Matrem, dein ad ejus Filium, tertio tandem ad Deum Patrem diriguntur. Omnia enim potest Mater apud Filium, et omnia Filius apud Patrem. Atque haec est scala illa quam S. Ignatius cum summa reverentia ac devotione solebat ascendere ut ad ipsum cor Dei perveniret. Ad ipsas vero gratias summi momenti quas suggerit petendas jam veniamus.

Primum colloquium fiet ad Dominam nostram ut mihi obtineat gratiam a Filio ac Domino suo ad tria : primo, ut internam cognitionem peccato-

rum meorum ac detestationem illorum sentiam : secundo, ut sentiam deordinationem operationem mearum, ut eam abhorrens, me emendem, meque recte ordinem : tertio, petere cognitionem mundi, ut illum abhorrens, mundana ac vana a me removeam. Ac dein semel Ave Maria.

Nomine sibi carissimo quod et dignitatem ac potentiam optime exprimit, Beatam Dei Matrem nuncupat *Dominam nostram;* Jesum autem exprimit non tantum cum summa reverentia, sed ita etiam ut certam exauditionis fiduciam concipiamus; si enim Filius est, quid dilectissimae Matri denegare potest? Si Dominus ejus simul et noster, omnia potest, quia Deus est. Sic apud S. P. N., nominibus ipsis subesse solent argumenta.

Primo, ut internam... sentiam. Prima gratia peccata respicit, secunda, fontem ex quo immediate peccata profluunt; tertia, originem et peccatorum et deordinationum, triplicem videlicet concupiscentiam, quae mundum a Christo damnatum constituit. Si igitur in tribus istis gratiis homo vivit ac perseverat, magnam sane consequetur animae puritatem perfecteque ad sibi terrenisque omnibus moriendum, ut soli Deo vivat, disponetur.

Interna cognitio quae hic petitur, non illa

est quam conferunt argumenta theologica, aut concionatoria, aut ex piis libris deprompta, sed ea quam Spiritus Sancti lumen et unctio intus animae communicant, quaeque sola supernaturalis est et ad salutem ac sanctitatem efficax. Idem dicendum de *detestatione*. Vult ergo S. P. ut utramque, cognitionem internam simul et detestationem, non solum habeam, sed et intime ac profunde *sentiam :* quo pacto non dimidiatus, sed plenus atque perfectus, quem omnimode intendit, effectus obtinebitur.

Secundo, ut sentiam (non cognoscam tantum aut agnoscam, gratia Spiritus Sancti) *intime sentiam deordinationem operationum mearum, ut eam abhorrens, me emendem, meque recte ordinem*. Postquam in prima gratia jussit S. P. petere cognitionem et detestationem peccatorum in genere, non facta inter mortalia et venialia distinctione, in secunda jam non tantum venialia peccata cum mortalibus complecti censendus est, sed et omnes omnino inordinatas affectiones. Quia enim aliter minime quidem obtentum iri videmus priorem illum scopum qui primae hebdomadae in annotatione prima praefixus est, neque ex alia parte distingui invenimus inter deordinatio-

nem gravem et levem; ac tandem ipsa peccata mortalia profecto non aliunde veniunt nisi et ex venialium habitu et ex male ordinatis affectionibus; hinc jure concludimus S. Patrem, in hac repetitione, ulterius procedere quam in duobus primis Exercitiis, in quibus de mortalibus tantum peccatis agebat; ejusque mentem fuisse, quamvis nullum exercitium ad hoc posuerit, ut director ad bellum venialibus peccatis, immo et omni inordinationi inferendum exercitantem induceret. Quod his vocibus : *meque recte ordinem* satis declaratur. Non enim omnia quae fieri oporteat delineavit in Exercitiis, sed praecipua quaedam composuit; cetera innuit tantum, atque ad ea viam aperit.

Tertio, petere cognitionem mundi, ut illum abhorrens, mundana ac vana a me removeam. Hic securis ad radicem et peccatorum, et inordinationum ponitur. Magni momenti certe est ut exercitans vanitatem hujus mundi, non leviter, sed intime sentiat. Duplici autem ex capite vanae, id est sine stabili substantia sunt res terrenae omnes. Quorum primum est, quia cito transeunt; cum morte enim finiuntur, et evanescunt, nec sunt amplius nisi nihil, quasi nunquam fuissent; secun-

dum vero illud est, quia deceptio sunt, nec felicitatem quam promittebant unquam conferre potuerunt. Id erat expertus S. Augustinus, cum a deceptoriis creaturarum illecebris liberatus, exclamabat : « Fecisti nos, Domi» ne, ad te, et irrequietum est cor nostrum » donec requiescat in te » Augustino praeiverat Salomon dicens : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas... Dixi ego in corde meo : vadam et affluam deliciis, et fruar bonis; et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem, et gaudio dixi : quid frustra deciperis?... Magnificavi opera mea, aedificavi mihi domos et plantavi vineas, feci hortos, et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus, et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium : Possedi servos et ancillas, multamque familiam habui : armenta quoque et magnos ovium greges, ultra omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem : Coacervavi mihi argentum et aurum, et substantiam regum ac provinciarum : feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos et urceos in ministerium ad vina fundenda : et supergressus sum omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem : sapientia quoque perseveravit mecum. Et omnia quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis : nec prohibui cor meum quin*

omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his, quae praeparaveram :... Quid in hac inaudita bonorum hujus mundi accumulatione deesse possit? Audi jam quid, gustatis his omnibus, idem rex judicet : *Cumque me convertissem ad universa opera quae fecerant manus meae, et ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole* (Eccle. 1, 2 et sqq.).

Hunc igitur mundum ac mundana omnia, quorum illecebris mire captus fuerat, ubi haec per divinam illustrationem verius cognovit, quantum abhorruit Ignatius! Ea vero quae mundus abhorret quanto cum amore amplexus est! Prae divitiis squalidam amplexus est paupertatem, prae honoribus, ignominiam : prae voluptatibus, durissimam poenitentiam, prae ludis ac festis, horridam manresanae specus solitudinem.

Mundana a me removeam. Mundana illa quae sunt? Audi Joannem : « *Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo : Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia* carnis *est, et concupiscentia* oculorum, *et* superbia *vitae, quae non est ex Patre, sed ex mundo est* (1 Io. 24, 15). Quo ex triplici fonte

omne peccatum et omnis inordinatio procedunt.

Secundum itidem (colloquium fiat) ad Filium, ut eadem obtineat mihi a Patre. Ac dein Anima Christi.

Tertium itidem (colloquium fiat) ad Patrem, ut ipse Dominus aeternus mihi illa concedat. Ac dein Pater noster.

QUARTUM EXERCITIUM

EST RESUMENDO HOC IPSUM TERTIUM.

Dixi resumendo, ut intellectus absque divagatione discurrat assidue per reminiscentiam rerum, quas contemplatus est in Exercitiis praeteritis, et faciendo eadem tria colloquia.

Adverte quomodo pro more suo S. P. primas partes convictioni intellectus concedit : *ut intellectus discurrat.*

Praeterea non dicit *repetendo,* sed resumendo; nam ut bene notat P. Roothaan, non sunt per puncta recolenda ea omnia quae omnibus praecedentibus Exercitiis continentur, sed quae in praecedentibus animum magis moverunt, ut ea altius menti infigantur. Satis

innuit S. P. diutius et profundius tribus tantae efficaciae colloquiis esse hic insistendum; immo haec videtur ex mente S. Auctoris praecipua pars hujus repetitionis.

QUINTUM EXERCITIUM

Notulam unam praemittere hoc loco placet circa ultimum diei exercitium. Quamquam enim nomen applicationis sensuum in duobus primis exercitiis S. P. plane taceat, manifestissime tamen illius generis exercitium jam faciendum in fine diei docet, cum exemplum ipse circa inferni poenas proponat; usum autem et applicationem circa reliquas materias Directori Exercitia tradenti committat. Ad eam igitur normam exercitium quotidie vespere exponendum suggerimus. Porro si quis quaerat cur praesenti loco S. P. eum orandi modum proprio nomine ornatum non exponat atque explicet, respondemus hic eum ideo de applicatione sensuum silere, sive quod per hanc primam hebdomadam facilius quam per sequentes, tale exercitium omitti alioque compensari possit, sive quod majore cum prudentia discernere Director debeat,

num exercitanti in talibus adhuc minus perito temporis jactura forte futura sit; sive quod istius exercitii methodus multo clarius exponenda ad ea mysteria reservetur quae sensibus objici magis proprie possunt, quam ea quae nunc tractamus, quae nonnisi analogice sensibus proponi possunt.

APPLICATIO SENSUUM AD PECCATUM ANGELORUM

Proelium in caelo, — exturbatio in infernum, — aeternitas.

Solita oratio praeparatoria, et eadem iterum praeambula.

Primum punctum. — *Proelium in caelo. Factum est proelium magnum in caelo : Michael et Angeli ejus proeliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli ejus : et non valuerunt : neque locus inventus est eorum amplius in caelo.* Sicuti in fine saeculorum fiet, ubi *stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt,* ita et nunc in caelo factum est. Latae in malos angelos damnationis sententiae fideles Angelos exsecutores Deus esse voluit.

Stabant ex adverso, ex una parte Angelorum dux Michael, ex altera Lucifer cum asseclis

suis. Exclamaverat in superbia sua Lucifer: *In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo :* Respondit Deus damnationis sententiam : *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci* (Is. 14, 13, sqq.). Et ecce illico antesignanus Archangelus Michael clamat in caelo : *Quis ut Deus?* scilicet hebraïce : *Mi cha El,* unde nomen ejus. Ita enim agnoscebat Dominum Deum suum, eum laudabat, ei reverentiam exhibebat, eique serviendo pro eo pugnabat. Angelos igitur omnes, rebelles alios, alios Deo fideles, visu imaginationis inspiciens observabo, eorumque verba imaginationis auditu auscultabo, ut peccati illorum audaciam et pertinaciam vividissime sentiam; tum vero subito angelos malos in deformes atque horribiles daemones immutatos contemplabor. O quam foeda et terribilis transformatio! Quanti ex una parte triumphales in laudem Dei Angelorum hymni! ex altera quantae blasphemiae, quanti desperationis ac rabiei clamores! quantae ejulationes, cum e caelo cadentes ruunt Lucifer et angeli ejus in profundum laci! *Videbam satanam de caelo cadentem sicut fulgur*

(Luc. 10, 18). *Neque locus inventus est eorum amplius in caelo* (Apoc. 12, 8).

Atque eadem omnia iterum imaginatione quasi praesens vivide aspiciam et audiam, ut altius menti meae infigantur. Horrendum illud fuit spectaculum, sed quanto erit horribilior ultima mundi catastrophe, quando lata in extremo judicio sententia, innumerabilis damnatorum turba in infernum praecipitabitur? Haec autem debuisset esse pars mea. Quoties enim infernum merui! quoties et inustum est animae meae propter tam multa peccata, infernale damnatorum signaculum! *Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti.*

Secundum punctum. — *Exturbatio in infernum. De caelo in infernum praecipitati, ait S. P.* Quam horrenda mutatio! pro caelo infernale barathrum; pro splendore, tenebrae; pro pace, rabies; pro ordine, horror sempiternus; pro amore, odium; pro spe, desperatio; pro felicitate, terribilis et inextinguibilis ignis supplicium. *Si non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in* Sanctis, an condignae sunt voluptates unius horae, unius diei, unius anni et millium annorum ad aeternum fornacis infernalis tormen-

tum? « O hebetudo et duritia cordis humani, » ait Th. Kemp., quod solum praesentia me- » ditatur, et futura non magis praevidet! ». Modo Deus mihi, aiebat furia illa infernalis, Angliae regina Elisabeth, quadraginta annos regnare concedat, contenta sum ire in infernum. Quadraginta annos, nec plus nec minus regni obtinuit... Quid ipsi nunc quadraginta illi anni, quae a tribus jam saeculis inter infernales animae cruciatus mortua est? Quid sunt si cum aeternitate comparentur?

Cum tempore missionis quidam malae vitae homo non sine aliqua etiam irrisione missionario moveri se nullo modo concionibus dixisset, reposuit hic cum benignitate : Visne facile aliquid facere quod tibi proponam? — Volo equidem. — « Ergo hodie » cum decubueris, tres tibi in silentio et » umbra noctis quaestiones objicies, eisque » cum mora respondebis : 1. Quo in statu » sum? — Peccati mortalis. 2. Quo irem si hac » nocte morerer? — In infernum. 3. Quamdiu » durabit infernus? — In aeternum. » — « Hoc » tantum? respondit ille; certo faciam, et sine » timore. » Fecit quidem, at cum inexpectato successu. Etenim a secunda jam quaestione, quasi praesentem sibi mortem cernens pavere

coepit. Ad tertiam autem totus contremuit, totaque nocte insomnis atque algido sudore madidus permansit. Ubi autem exoriri lux coepit, ad confessionem cucurrit.

Eodem igitur modo, si exercitans sibi proposuerit malorum angelorum exturbationem in infernum, profecto omnes hujus diei exercitiorum confusionis et pudoris sensus renovabit et alte menti et cordi infixos confirmabit.

Tertium punctum. — *Poenae aeternitas.* O aeternitas, cujus filia coaeterna desperatio est! O aeternitas, quae, sine ulla evadendi spe, toto suo pondere singulis momentis damnato incumbit!.. Finge tibi mille saeculorum myriades, easque toties multiplica quot sunt in toto orbe atomi; quando infinita illa saecula impleta fuerint, quam partem suae aeternitatis fecerit Lucifer? Nullam; nam tota et integra permanebit aeternitas; quia ubi finis nullus est, progredi non progredi, sed stare est. Talis autem sine motu ullo immobilis erit aeternitas, tota semper praesens et nunquam finienda! Quam ergo terribile est vinculis justitiae Dei omnipotentis constringi, atque immobiliter media in fornace inextinguibili teneri! Haec qui vivide et con-

stanter meditaretur, esset unde in amentiam incideret : *Quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante, et cum ardoribus sempiternis?* (Is. 33, 14), in quibus daemones et reprobi *cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum* (Apoc. 20, 10).

Hanc igitur praesentem atque aeternam innumerabilium angelorum conditionem imaginatione conspiciam, qui unum tantum peccatum mortale commisere. Haec et mea a multis annis esset conditio, si post primum meum peccatum mihi mors occurrisset. Jam age, sicut qui a judice temporali ad carcerem damnatus fuit, et multo magis si ad mortem, publicam is et nunquam, etiamsi gratiam accipiat, delendam infamiae notam contrahit, multoque magis si pluries, si multoties condemnationes illas incurrerit; ita ego qui toties mortale peccatum commisi, toties a Judice aeterno ad carcerem inferni et ad mortem aeternam fui damnandus, cui si mortis meae dilatio executionem sententiae retardavit, quamdiu tamen in peccatis permansi, tamdiu supremam illam infamiae notam inustam servavi. Quid igitur sum coram Deo, coram universa curia caelesti, coram conscientia mea, nisi iterum iterumque recidivus in eam

damnationem quam sustinent angeli mali, immo et infinities majorem ob tam multa peccata mea? Quis jam alius sum, quam jure publico, immo et divino, infamis? O si nossem me sicut novit me Deus, sicut meus me novit custos angelus, vigil ille omnium turpitudinum mearum testis!..

Postea colloquium cum Christo crucifixo, ut in primo exercitio et Pater noster.

Secunda dies

PRIMUM EXERCITIUM

HOMINIS CREATIO ET LAPSUS

Eadem sit in exercitiis hujus diei oratio praeparatoria, eadem praeambula et eadem in fine colloquia, ac praecedenti die, quo magis ac magis ex hac in unum intentione, pudoris ac confusionis sensus accrescat. Eadem quoque in hac de peccato primi hominis meditatione potentiarum applicatio praescribitur, ac ter iterum vox *trahere* repetitur, ubi materiam de peccato secundo ita S. P. exponit:

Secundum (punctum erit), idem facere, id est trahere tres potentias super peccatum Adae et Evae, trahendo in memoriam quomodo ob illud peccatum tam diuturnam fecerint poenitentiam, et quanta corruptio genus humanum invaserit, tam multis hominibus ad (versus) infernum euntibus.

De comparatione quam instituat exercitans suorum peccatorum cum peccato Adae et Evae non loquitur S. Ignatius, cum eam in

meditatione de peccato angelorum satis declaraverit. Intelligenti enim haec comparatio tam necessaria novis verbis non erat iterum inculcanda. Memorat autem non tantum Adae, sed et Evae peccatum, quoniam uterque gravissime peccavit et utriusque peccati consideratio exercitanti summopere utilis est: quod duplex peccatum hoc tantum discrimine differt, quod Evae peccatum mere personale fuit, Adae vero, in quo omnes peccavere, personale simul ipsi, et nobis originale. Hujus igitur Adae praevaricationis poenas et consequentias ponit S. P. : *poenas* quidem, Adae, et Evae et universo generi communes, *quomodo ob illud peccatum tam diuturnam fecerint poenitentiam; consequentias* vero, corruptionem generis humani, et tam multorum hominum aeternam damnationem : *et quanta corruptio genus humanum invascrit, tam multis hominibus ad infernum euntibus;* quae sequelae, multo quibusque temporalibus poenis terribiliores, genus humanum ad finem usque mundi apprehendent.

Ex his jam quam late hujus puncti materia pateat apparet, nec certe Ignatius qui *multum,* non *multa* volebat, tantam, infra tertiam partem horae unius, rerum copiam ab exerci-

tante indigestam absorberi debere existimavit; unde iterum concludimus eum non unius horae exercitio materiam primi Exercitii de tribus peccatis, sed plurium dierum exercitiis destinasse.

Primum punctum. — *Adami creatio et conditio. Dico trahere in memoriam secundum peccatum, (scilicet) nostrorum Parentum, quomodo postquam Adam creatus esset in campo Damasceno, et positus in paradiso terrestri, et Eva formata esset de ejus costa, cum prohibiti essent ne de fructu arboris scientiae comederent...*

Adam creatus est. Postquam cetera omnia propter hominem creaverat Deus, hominem ipsum, velut finem et coronidem operis sui, non sine solemnitate magna, sexta die creavit dicens : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* atque innuens voce illa : *faciamus,* totius SS^ae^ Trinitatis concursum. Verissime enim magnum et plane Deo dignum opus agebatur, ubi creabatur homo ad imaginem et similitudinem Dei, in aeternum, dum cetera omnia labuntur, victurus. Quae quanti momenti creatio fuerit, si duplex aeternitas beata vel misera attenditur, et tum maxime, si nostrae memoriae obversatur quomodo praeviderit Deus et Filium suum

eam quam tunc condebat naturam olim assumpturum, et sub eo fore Matrem ejus mundi caelique reginam, nemo non mirabitur.

Quoniam igitur homo erat terram habitaturus et cum materialibus creaturis communicaturus, corpus ipsi Deus creavit e limo terrae, ad fovendam in homine humilitatem; dein *et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.* (Gen. 2, 7). Deditque ei Dominus ut praeesset *universae terrae* : Anima hominis ex Deo prodiens, et ad Deum ut ad suum principium tendere debebat, et ad Deum ejusque gloriam corpus ac cetera creata omnia attollere. Hoc fuit consilium Dei circa hominem, splendidum annulum illum, quo omnia cum Divinitate connectuntur; ideoque Deus eum, ad imaginem suam ratione ac libera voluntate donavit. Sed transcendit haec omnia, quod eum ad supernaturalem statum evehens, vita sua divina vivere eum fecerit, in filium adoptaverit, aeternumque sui regni heredem constituerit.

Evae creatio. *Et quomodo Eva postquam formata esset de ejus costa.* Non immediate e limo terrae Eva educta est, sed de latere Adae, ut in immensa hominum multiplicitate unitas

generis humani resplenderet, simulque communis omnium ex divino spiraculo originalis excellentia. Sic et nascitura ex Novi Adae latere in cruce dormientis praefigurabatur Ecclesia.

Primorum parentum nostrorum conditio. Conditio physica fuit jucundissima, et ex parte Dei amabilissima. *Trahere in memoriam,* ait S. P. *quomodo postquam Adam creatus esset in campo Damasceno, et positus in paradiso terrestri.* Quanto autem ex amore paradisum, tenuem caelestis paradisi adumbrationem Deus creaverit, in quo praedilectam suam imaginem, hominem, poneret, mire patet ex verbis Geneseos : *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio : in quo posuit hominem quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave : lignum etiam vitae in medio paradisi, lignumque scientiae boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum* (Gen. 2, 8, sq.).

Conditio autem moralis a S. Ignatio in Fundamento descripta est : *Homo creatus est ut Deum Dominum nostrum laudet, ei reverentiam exhibeat, eique serviat, et per haec salvet animam suam.*

Igitur aeterna sors ejus beatissima in ejus erat manibus, ab ejusque libero pendebat arbitrio : *Quicumque glorificaverit me, et ego glorificabo eum.* Quanta ergo res libertas est, et quam formidandus ejus abusus, a qua vel summe beata, vel summe misera pendet aeternitas!

Hoc unum idemque facillimum subjectionis obedientiaeque signum homini Deus imposuerat, ut nimirum a fructibus unius tantum arboris abstineret. Hinc salus aut ruina.

Huic aliquomodo similis mea, post redemptionem iterum facta conditio est, ut scilicet a me mea pendeat aeternitas.

Recolantur hic quae de divino servitio ac de aeterna salute in Fundamento dicta sunt.

Secundum punctum. — *Probatio et lapsus.*

Probatio : S. P. ait : *Et ipsi comedentes, et ita peccantes.*

Divinum praeceptum clarissime Adae declaratum fuerat : *Praecepitque ei dicens : Ex omni ligno paradisi comede. De ligno scientiae boni et mali ne comedas : in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* (Gen. 2, 16). Praeceptum lucidissime et adjecta sanctione Adae, utpote capiti generis humani, a quo omnium hominum salus penderet, impositum

fuerat; idemque et Evae, quamvis post primam impositionem creatae, similiter, ut ipsamet testata est, sub gravi incumbebat. Considerabo, attenta Dei bonitate et facilitate praecepti, quanta sit humana fragilitas, et quantum mihi cavere debeam.

Tentatio diaboli. Sicut angelicis spiritibus spirituale experimentum Deus dederat, ita homini ex spiritu et materiali corpore constanti experimentum spirituale simul et materiale accommodavit. Materia, fructus erat; mentis vero obedientia ad spiritum pertinebat.

De serpente, seu potius de diabolo sub forma serpentis Evam alloquente, ait Spiritus Sanctus : *Callidior cunctis animantibus terrae,* quod de eo serpente qui Evam aggressus est debet intelligi, utpote qui a daemone, angelo videlicet homine omni callidiore possessus erat et ab intus agebatur; itaque Evae serpens omnibus animantibus callidior apparebat. Diabolo, humanae naturae a Deo et ad imaginem Dei conditae hosti infensissimo, propria calliditas est; qua se transformat multimode, amicumque simulans sese, hominem decipere atque in laqueos suos adducere constanter tentat : homicida scilicet ab initio, neque ullos, ut propriae perditioni homo con-

sentiat, adhibens insidias, quales videbimus in reg. de disc. spir.

Hic ad Evam, rerum peritus, tamquam benevolus se convertit, qui si ut reipsa est, horrendum specie, terribilem et flagrantem odio ostenderet sese, illico repelleretur. Dupliciter autem homini insidiatur : intellectum nempe falso lumine et subtilibus perpetuisque fallaciis ac ratiocinationibus in errorem inducens; dein, decepto intellectu, continuo sensus movens, quos ad peccatum vehementer alliciat.

Itaque per Evam, utpote voluntate infirmiorem incepit, ut devicta a diabolo Adamum ipsamet devinceret. Hoc enim ipsi familiare est, ut in decima reg. disc. spir. notatur, explorare vires, ut ex parte debiliori impugnet. Incipit igitur a libero praecepti divini examine. Cum enim Dei prohibitionem et sanctionem primi parentes nostri cum simplicitate accepissent, eos ad ratiocinandum diabolus inducit, quasi subdolum quid ex parte Dei in praecepto lateret, quod detexisse iis prodesset : *Cur praecepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi?* (Gen. 3, 1.)

Quod autem ab eo momento quo vox Deo inimica audiebatur, statim facere oportuit,

sermonem nimirum illico abrumpere, id imprudens Eva non fecit; respondit diabolo et cum eo ratiocinata est. Porro sicut qui cum callidiore se argumentatur facile vincitur : ita et qui cum diabolo disserere inceperit in tentationem incidat necesse est. Nondum consensit quidem Eva, sed tentatorem auscultavit, et ecce jam titubat : *praecepit nobis ne comederemus et ne tangeremus illud, ne forte moriamur* (Gen. 3, 3). Insistit sanctioni a Deo positae, timens videlicet sibi, cum ante omnia offensam Dei timere debuisset; quo facto ansam praebet diabolo, ut sanctionem illam negandam esse affirmans timentem Evam confirmet, indeque facile eam, sublato jam timore, in peccatum propellat. Vide enim quomodo serpentinus angelus a timidioribus incipiens, mox jam debilitatam et titubantem impetat audacius, et quasi eam a deceptione divina servaret ipsique amice consuleret, intentatam sanctionem aperte neget : *Nequaquam morte moriemini;* vide quomodo Deum mendacem Pater mendacii faciens, suum, quo ipse perditionem incurrit, superbiae virus Evae instillet atque aperto vulneri continuo infundat, *scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri : et eritis sicut dii,*

scientes bonum et malum (Gen. 3, 5). Tentat, ut semper tentare solet, sub specie proprii boni mentiens : aperientur utique eorum oculi, sed cum stupore ac desperatione; scientia autem illa qua ex hominibus dii evaderent, eos in abyssum ignorantiae et ignominiae dejiciet. Ita semper mendaces sunt diaboli promissiones, nec esse non mendaces possunt, cum nullum conferre bonum diabolus possit aut velit, solum malum quam possit maximum hominibus afferre intendens. Hoc sciunt quidem omnes; at quot miseri decipi se iterum atque iterum in ruinam suam patiuntur!

Lapsus. Ubi Evae intellectum obcaecavit, ejusque curiositatem acuit et superbiam accendit diabolus, illico ex parte sensuum eam impugnat, pulchritudinem et delectabilitatem fructus vetiti vivide objiciens, et vincit.

Postquam vero Evam seduxit diabolus non inde perditum genus humanum adhuc est; sed Evam adhibet quae seducat Adam. Ita enim saepe res ipsi certius per homines quam per seipsum succedunt. Ac revera quam saepe malorum societatem et respectum humanum plus ad perdendum valere quam daemonum ipsorum turmas, propria nobis experientia

constat! Quam immensa hominum, immo et sacerdotum, multitudo in inferno cruciantur, qui capti olim feminarum, sirenarum illarum, illecebris fuere!

Prima quidem victima fuit Adam, at cum eo nos omnes. Vetitum fructum Eva comederat, sed necdum, ante Adae lapsum, venenum senserat. Persuasit viro suo, ut et ipse comederet : *dcditque viro suo, qui comedit.* Eodem momento, per originale peccatum universi generis humani ruina consummata est; et inde *statutum est omnibus hominibus semel mori; post hoc autem judicium* (Hebr. 9, 27).

Tertium punctum. — *Transformatio et absconsio.* Quantus fuit primorum Parentum nostrorum stupor, cum primos, ignominiosos nempe illos, peccati effectus sensere! Postquam enim decepti a diabolo crediderunt similes se Deo futuros, ecce amittendo gratiam amiserunt et veram illam quae ipsis inerat similitudinem Dei, et divinam illam vitam quam ipsis Deus infuderat; brutorum animalium concupiscentiis jam turpiter obnoxii, sciunt utique, sed ad suum infortunium et ad suam perniciem, malum quod antea pro sua felicitate ignorabant. *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis in-*

sipientibus et similis factus est illis. Hoc idem expressit in primo praeambulo S. P. : *Considerare animam meam in hoc corruptibili corpore, tanquam carcere, inclusam, et totum compositum in hac valle tanquam exulans inter bruta animalia.*

Non alium finem habent diabolicae incantationes atque insidiae. Quod in Adam accidit, id et post nostra omnia peccata sentimus. Scilicet hostis nostri illusiones felicitatem quidem pollicentur; commissum autem peccatum sequitur remorsus, sequitur tristitia, sequitur pudor, sequitur deformatio, ac nonnumquam desperatio.

Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata (GEN. 3, 7).

Adae et uxori ejus, quia, non intelligentes honorem in quo fuerant conditi, comparandi et assimilati jam essent jumentis insipientibus, fecit Dominus Deus ex bestiarum exuviis tunicas pelliceas, et induit eos; miseram autem Adami sortem vivide irrisoria antithesi exprimens et deceptoris diaboli promissis alludens, ait : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum* (GEN. 2, 22); dein plectens eum pro peccato : *emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operare-*

tur terram de qua sumptus est (Gen. 3, 23). Simile quid quotidie accidit, ubi innocentes malum a perversis hominibus addiscunt, et in turpia peccata prolapsi, e paradiso innocentiae suae ejiciuntur, ut remorsibus dilaniati ac passionum suarum gladiis discerpti, miseram vitam agant, donec dilatans os suum infernus eos absorbeat.

Colloquium ut supra cum Jesu crucifixo, et *Pater noster*.

SECUNDUM EXERCITIUM

PECCATI PRIMORUM PARENTUM SEQUELAE

Eadem oratio, eademque praeambula.

Punctum primum. — *Triplex sententia.*

Prima sententia : Ait Dominus Deus ad serpentem : quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae : super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus (Gen. III, 14, 15).

Tentatori poena primum infligitur. Quae repenti bestiae antea erant naturalia, fiunt ei

nunc in ignominiam, et oritur eam inter et hominem odium inextinguibile. Sed ea quae serpenti denunciantur, juxta sensum Dei, super omnia de daemone accipienda sunt, cujus capitalis humanae naturae inimici superbia hic humiliatur. Qui enim caput in Deum erexerat, turpiter contunditur et maledictioni devovetur; qui Altissimo similis esse tentaverat rebellis angelus, ecce super pectus gradietur, omnis caelestis ac spiritualis boni expers, de terra tantum, immo de inferno comedens in aeternum.

At, quod ignominiae ac doloris caput est, ei, qui Christum in caelo adorare noluerat, qui hominem ex invidia perdiderat, futuri Redemptoris adventus praenuntiatur, necnon et sanctissimae atque immaculatae Virginis nativitas, quae una cum Filio suo draconis infernalis caput pede confringet. Praenuntiatur et nobis perpetuum cum capitali, ut ait S. P., naturae humanae inimico sustinendum bellum : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*. Semen diaboli mali homines sunt; boni autem semen sunt Jesu et B. Matris ejus.

Adam et Evam punivit quidem Deus, non autem eis maledixit; quin potius, poena in-

flicta, eorum miserens, omnium divinissimam promisit benedictionem, Filii sui Redemptoris Incarnationem. Terrae solum, et ei qui homini scandalo fuerat maledixit, eadem videlicet maledictione, quam contra scandalosos Christus olim fulminabit : *Vae ei per quem scandalum venit!* (MATTH. 18, 7.)

Secunda sententia : Eva praeceptum Domini transgressa, se excusaverat, ac vixnon culpam in Deum rejecerat, eo quod versutum serpentem in paradiso manere sivisset; ideo punietur in partubus suis. Obaudierat serpenti, Dei inimico; serpens tentationibus suis eam incantare usque tentabit; traxerat virum suum in peccatum, subjicietur viro. *Mulieri quoque dixit : Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos : in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Quantum illa omnia filias Evae opprimant, ipsae sciunt. Quantae matribus aerumnae! quantum martyrium! quot lacrymae!

Tertia sententia : Adae se excusanti, culpamque in uxorem, ac vixnon et in ipsum Deum pariter rejicienti, duros labores ac mortem intentat ob eam ipsam causam, quod vocem Evae audiens transgressus esset legem Domini : *Adae vero dixit : quia audisti vocem uxo-*

ris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrae. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris (GEN. III, 17 sqq.).

Secundum punctum. — *In hac vita diuturna poena Adami et posterorum ejus*. Per totos nongentos et triginta annos in illis laboribus et sudoribus, in lacrymis et angustiis, in remorsu et tristitia, exul a caelo vitam in hac lacrymarum valle produxit. Atque iisdem subjacent aerumnis posteri quoque ejus. Quam enim duri, iique ad vitam necessarii labores, sive super terram, sive super maria, sive in ipsis visceribus terrae! Quanta eorum, qui laborare detrectant, taedia et vitia! Quae omnia filiis Adae a peccato coepere, ad finem usque saeculorum, quantumvis arte et scientia homines contra ea rebellent, perseveratura : statutum est : *In sudore vultus tui vesceris pane*. Immo, quot miseri, etiam cum sudore et dolore laborantes, egestate, fame, frigore cruciantur! Atque ipsi divites, quot acerbitatibus, ex otio, taedio, odiis domesticis, dura voluptа-

tum lassitudine, ita saturantur, ut, dum operarius sortem suam sustinet, non raro sibi ipsis illi ob desperationem mortem inferant. *Homo natus de mulicre, brevi vivens tempore, multis repletur miseriis* (Job. 14, 1). « Erras, erras, » ait Th. Kemp., si aliud quaeris, quam pati » tribulationes : quia tota vita ista mortalis » plena est miseriis, et circumsignata cruci- » bus. » Ab unico peccato mortali illa omnia; et ego, qui tot peccata mortalia commisi et toties inferni poenas merui, de poenis meis temporalibus conquerar!

Tertium punctum. — *Quanta corruptio genus humanum invaserit.* Modo, de poenis temporalibus egimus; jam de multo gravioribus agendum; scilicet de iis quae in bonis spiritualibus et supernaturalibus animam attingunt. Non jam ipsum Adamum dicimus, sed posteros ejus ac totum genus humanum. Tanta namque fuit istius unius peccati pernicies, ut generationes ad finem usque saeculorum infecerit. Huc refer istud verbum Dei : *Cogitationes vestrae non cogitationes meae* (Is. 55, 9). Quam igitur aliter in futura vita de peccato sentiemus!

Crescente genere humano, crevit et corruptio, quae tanta in diebus Noe exstitit, ut S.

Scripturae dicant : *Omnis quippe caro corruperat viam suam* (GEN. 6) : Universum nempe orbem invaserat luxuria. Ut autem ostenderet Deus quantum vitium istud turpissimum, quo se homo anima et ratione praeditus usque ad ipsa pecora abjicit, detestetur, decrevit totum genus humanum, octo tantum justis exceptis, aquis delere diluvii. *Poenituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus : Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terrae, ab homine usque ad animantia... Poenitet enim me fecisse eos* (GEN. 6, 6 sq.). Cumque vivente Abraham, corruptio iterum genus humanum invasisset, non jam aquis, sed igne Deus impudicos delevit. Quinque enim civitates abominabili luxuria cum inficerentur, in omnem illam regionem, vindicem ignem e caelo misit, qui omnia combussit ac delevit. *Sicut Sodoma,* ait Juda, *et Gomorrha et finitimae civitates simili modo exfornicatae et abeuntes post carnem alteram, factae sunt exemplum, ignis aeterni poenam sustinentes.* (JUD. 2, 7).

Porro graeci ac romani imperii incredibilem corruptionem ac inde eversionem quis ignorat? Quis non videt et inter Christianos ipsos pestem illam saevientem?

« O ignis infernalis luxuria, exclamat S. » Hieronymus, cujus materia gula, cujus » flammae superbia, cujus scintillae prava » colloquia, cujus finis gehenna! »

S. Bernardus existimat ex centum damnatis nonaginta novem damnari propter luxuriam. Sanctus vero Alphonsus de Liguorio non absonum judicat dicere neminem sine luxuria aeterno devoveri supplicio.

Sed non in unius divini praecepti violatione coarctata fuit hominum corruptio, verum legis tum divinae tum naturalis universalis neglectus et violatio frequentissima totum genus humanum occupavit. Cujus rei horrenda exempla non poteris non animadvertere, si vel obiter mundum inspicias, si multiplices caedes et clades, si bella publica et privata odia, si rapacitates, et injustitias, et furta, et incendia, et populationes, et direptiones, si mendacia et perjuria, et perfidias, et proditiones, si latrocinia, et violentias, si gulae excessus, si ebrietates, si cordis erga servos duritiem immanitatemque, si pauperum contemptum, si vitiorum omnium non praxim tantum sed et theoreticam glorificationem ac divinisationem in paganorum diis et deabus colendis, in recentiorum etiam nostrorum ma-

terialistarum, communistarum, nihilistarum, socialistarum, atheorum placitis et conatibus, in societatum secretarum occultis machinationibus consideraveris.

En sequelae terribilis illius concupiscentiae, quam unicum peperit Adae peccatum. Neque minores aut meliores sequelae apud singulos homines peccato actuali pariuntur. Ignis enim ille, ubi in anima accensus fuit, nunquam dicit : satis est.

Tam multis hominibus ad infernum euntibus.

Certum est eos omnes qui unius etiam peccati mortalis rei moriuntur, fore in aeternum damnandos. Porro omissis etiam infidelibus, haereticis, schismaticis, certum pariter est multos christianos, sacerdotes ipsos quandoque, immo et nonnumquam religiosos in peccato mortali viventes aut subita morte corripi, aut sine vera poenitentia vita defungi. Quarum rerum postquam S. Theresia exempla terroris plena vidit, damnatas scilicet animas tanto numero cadentes in infernum, ut eam multitudinem floccorum nivoso tempore in terram cadentium multitudini aequipararet, eamdem et sibi sortem quis non reformidet, cum nemo sit qui in peccatum mortale incidere non possit, et in eo mori? Quod si ipse

Apostolus Paulus damnationem reformidabat : *Corpus meum castigo et in servitutem redigo, ne forte, postquam aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar* (1 Cor. 9, 17), quis securiorem se Paulo existimet? Ast, plerique hominum et carnis insolentiam conviviis, intemperantiis, mollitie nutriunt, et pericula ipsimet quaerunt atque incursant. Inde illa damnatorum multitudo, originalis peccati per concupiscentiam sequela; neque mirum jam est Ignatium, mirabilem illum Sanctum, cum ei aliquis objiceret quod nimiis ac crudelioribus poenitentiis se traderet, respondisse : O sinite me aliquid facere ut salvem animam meam.

In fine solitum cum Jesu crucifixo colloquium, et *Pater noster*.

Tertium et Quartum Exercitium, repetitiones utriusque praecedentis exercitii.

QUINTUM EXERCITIUM

ERIT APPLICATIO SENSUUM

Stipendia peccati mors (Rom. 6, 23). Solita oratio praeparatoria, et iterum supradicta praeambula.

Primum punctum. — *Mortis sententia.* Postquam hominis lapsum et poenam meditati sumus, jam altius menti infigendam mortis sententiam coram sensibus proponamus; ac primo quidem in hoc puncto ipsum momentum consideremus, quo Deus Adamo eam elocutus est. Oculis igitur primos parentes aspiciamus foliis ficus consutis indutos, confusione ac pudore oppressos, coram Deo stantes. Auribus simul imaginationis audiamus tremendam illam interrogationem et responsionem, ac tandem sententiam mortis : *quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (Gen. 3, 19). Odoremur quoque ac gustemus amaram animi deceptionem qua scientiam boni et mali misere adepti, non deos se sentiunt secundum serpentis promissionem : *eritis sicut dii*, sed humiliatos ac jumentis similes, omnibus concupiscentiae, morborum, tempestatum nocivis vicissitudinibus, ac mortis dissolutioni obnoxios. Tangamus cum ipsis rudia illa ex foliis perizomata quibus contumeliam corporis sui contegere satagunt; tangamus et alias illas vestes ex bestiarum pellibus et crinibus confectas, quibus tunicis ipsos Deus miserans a frigore, a ventis, ab immunda nuditate defendit. Audiamus iterum singul-

tus aspicientium se ipsos nunc tamquam belluarum specie vestitos. Audiamus tandem Sanctissimae Trinitatis acerbam et plenam irrisione exprobationem : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum : nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitae, et comedat et vivat in aeternum. Et emisit eum* (Gen. 3, 22). Videamus denique expulsos e paradiso fugientes et jam omnimodas mortes ac pericula perpetuo formidantes.

Ita et mihi nunc est dicendum : *Putredini dixi : pater meus es; mater mea, et soror mea vermibus* (Job. 17, 14). Quam cito hoc et mihi accidet! *Homo quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (Job. 14, 12). *Valde cito erit tecum hic factum,* ait Th. Kemp.; *vide aliter quomodo te habeas : hodie homo est, et cras non comparet. Cum autem sublatus fuerit ad oculis, cito etiam transit a mente. O hebetudo et duritia cordis humani, quod solum praesentia meditatur, et futura non magis praevidet!* (Th. K. I, 23.)

Quod morituus sim, hoc certum est : cetera omnia mortis incerta. Ac verissime mors, vindex illa peccati, ex improviso plerumque apparet et percutit. Quis enim morti suae ut

jamjam venturae, nisi cum illa apparet, sincere credit? *Qua hora non putatis Filius hominis veniet* (Luc. 12, 40). Nulla dies, nulla hora venire mors non potest. Quid mihi, si hoc momento me feriret?

Deinde quae immitis semper est atque inexorabilis, quam multimoda advenit! si subita corripit, quantus terror! si morbida, quanti dolores, gemitus ac forte clamores! Quis tremor in conspectu aeternitatis! Quae turbatio, et formido! Quam aliter tunc cogitabo de peccatis meis! Mortaliter peccavi in vita, et multoties; damnationem certo incurri ineluctabilem, nisi debitam poenitentiam fecero. Quae mea forsan erit anxietas circa valorem praeteritarum confessionum quoad sinceritatem, dolorem, propositum, fugam occasionum! *O mors, quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis!* (Eccli. 41, 1.)

Magna igitur accuratione meae confessiones instituendae sunt, a quibus mea pendebit aeternitas; multoque ipsa etiam morte magis formidandum mihi peccatum est, quod malam mortem adducit!

Secundum punctum. — *Primus mortis ingressus in mundum*. Ingressus ille fuit et inex-

spectatus et crudelissimus. Annos natus Adam centum et triginta, duos habuit filios, Abel et Caïn, justum illum, hunc peccatorem. Abel Deo, propter suam innocentiam gratus erat, pinguiores ei victimas offerens, ac propterea benedictionem accipiens a Domino; Caïnus autem, malorum antesignanus sicut Abel erat bonorum, invidia in fratrem contabuit; cum enim non potiora de suis Deo offerret, indeque non similem perciperet benedictionem, eo invidiae et odii erga fratrem suum, devenit, ut cum, sub hypocrita amicitiae specie, ad ambulandum invitatum crudeliter insiliens occiderit. Dilectum suum Abel diu quaesitum tandem invenit Adam inanimem. Quantus ejus fuit stupor cum primum cadaver conspexit! Sensibus iterum nostris imaginemur omnia nos percipere : visu turbatos ac vultu pallidos Adamum et Evam corpus istud carissimum aspicientes pallore mortis lividum, rigens et cruore conspersum lacrymisque illud rigantes. Audiamus quam dein fuerint attoniti et exhorruerint cum carnem jam putrescentem, scatentem vermibus, contuiti sunt, terrae mandandam. Tunc intellexerunt verbum Dei : *quia pulvis es, et in pulverem reverteris*. Gustemus quomodo per reliquam

vitam suam infelix pater pugionem illum utrinque acutum in corde persenserit, atque ob oculos semper habuerit et dilectum suum occisum Abelem, et Caïnum homicidam ac fratricidam. Tangamus imaginatione, cum patre doloribus ac poenitudine contrito, corpus illud exanime in quo prima mors apparuit; cum matre autem ejulante ac plorante, vulnera illa et frigida membra. En fructum unius peccati amarissimum. Compatior Adamo; compatior Evae; Caïno irascor; cur non irascor adversum me, cur non compatior Deo Patri, Patri meo amantissimo, cujus Filium, agnum innocentissimum, toties in corde meo gladio peccati mortalis pupugi et crucifixi? Audio vocem Dei a Caïno sanguinem fratris repetentem. Audio et Deum Patrem mihi dicentem : Ubi est frater tuus et Filius meus Jesus? Vox sanguinis ejus clamat ad me. Dolebo, Jesu, super te a me crucifixum ac per me mortuum, et in te sperabo; nam tuus sanguis, non vindictam, ut sanguis Abel, clamat ad Patrem, sed amorem et misericordiam.

Tertium punctum. — Terribiles mortis ministros ac satellites, pestem, famem, bellum, quae omnia unici peccati mortalis consequentiae sunt, quasi eorum testis essem, conside-

rabo sensus applicans, memor non unius peccati mei, sed multorum.

Visu civitatem aut regionem contemplabor, in qua saevit pestis. Quot centenos subito correptos, horribiliter tabescentes audio inter fletus, singultus et ululatus morientes ac propter contagionem sine mora terrae mandandos aut forte, prae formidine sine sepultura relinquendos! Quot cadavera olfacio jacentia in plateis horribilem foetorem exhalantia! Sed quid, in oculis Dei et Angelorum foetor ille, si cum foetore peccatorum meorum comparetur? Quid pestis illa, unici peccati effectus, si cum scandalo comparetur, et cum perversorum hominum exemplis ac seductionibus?

Contemplare iterum visu imaginationis regna integra, propter terrae sterilitatem, fame tabescentia; contemplare homines, ea quae ne tangere quidem antea voluissent nunc famis rabie adactos amplexantes ac devorantes; audi innumeros infantes cibo deficiente, inter ulnas matrum expirantes, immo et matres parvulos occidentes et devorantes, ne et ipsae moriantur. En sequelam peccati : *maledicta terra in opere tuo;* en mortem, poenam primi peccati.

Tandem contemplare in planitie bellato-

rum pugnas et furorem; contemplare et ingentes acervos juvenum in praelio occisorum et jacentium, innumerorum percussorum militum vulnera, obtruncationes; audi eorum clamores ac desperationis voces. Vide innumerabilium familiarum lacrymas et funera.

In colloquio contemplare et ipsum Jesum in cruce per te vulneratum et occisum; contemplare luctum Mariae et ceterorum cruci fideliter adstantium. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.*

Tertia dies

DE HOMINE DAMNATO PROPTER UNICUM PECCATUM MORTALE

PRIMUM EXERCITIUM

Status gratiae, tentatio, lapsus

Supponatur damnatus qui vel unicum commisit in vita sua mortale peccatum cum quo mortuus est, vel cui condonata fuerant commissa ante peccata. Certum enim est eum damnatum iri in aeternum qui cum unico etiam peccato mortali ex hac vita decesserit.

Miser igitur ille, antequam mortale peccatum illud in quo damnatus est, committeret, amicus erat Dei et futurus heres regni caelorum. Animae ejus gratia sanctificante ornatae, qua solem ipsum splendore et pulchritudine vincebat, Spiritus Sanctus inerat, velut in templo suo, eam regens quodam modo, sicut anima regit corpus, septem ei dona sua infundens, et creatam vitae divinae participationem communicans; verbo, filius erat ille

adoptivus Dei, membrum et frater Jesu. *Si filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Cor autem ejus ea pace fruebatur, *quae,* ut ait Apostolus, *exsuperat omnem sensum.* Vide nunc quomodo e tanto fastigio exciderit, ut in peccatum et in aeternam rueret damnationem. *Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris?*

Primum punctum. — Remissio. *Qui se existimat stare,* ait Spiritus Sanctus, *videat ne cadat.* Vae ei qui a pristino fervore deflectit : *Habeo aliquid adversum te : charitatem tuam primam reliquisti* (Apoc. 2, 4). Sensim sine sensu miser ille damnatus a sua charitate defecit, Christi verborum oblitus : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (Matt. 26, 41), orationi negligenter vacans, eamque in fine fere relinquens; hinc frigidus evasit ad caelestia, ad terrena autem et infima vehementer inclinatus; divinarum consolationum expers, humanas anhelavit; unde natae in intellectu tenebrae, in voluntate ad malum pronitas. Relicta autem animae cum Deo per spiritualia exercitia communicatione, in teporem incidit, lapsuum praecursorem. *Utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es, incipiam te*

evomere ex ore meo (Apoc. 3, 16). Nec *vigilavit;* sed quasi dormiens, pericula non prospiciens, in occasiones peccati incurrit. Haec quasi remota est ad gravia peccata praeparatio, cui procurandae per menses quandoque et annos diabolus constanter insistit. Hoc audiant et ipsi sacerdotes et religiosi, ne facti diutina remissione inermes et socordes incidant in laqueos diaboli.

Secundum punctum. — *Tentatio.* Cum militia sit vita hominis super terram, nec quisquam reperiatur, qui non sit tentationibus, quamdiu vivit, obnoxius, damnatus ille tentatus et ipse fuit. *Unusquisque* vero, ait S. Jacobus, *tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (Jac. 1, 14). Poterat quidem resistere; nam *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (1. Cor. 10, 13). Sed ut vincatur tentatio, duo requiruntur : oratio ad obtinendum gratiae auxilium, et certamen ad resistendum. At vero ille neutrum constanter adhibuit. Dum enim per concupiscentiam tentabatur, abstractus a Deo et illecebris peccati illectus, Deus apud eum intus agebat, ut oraret ac resisteret; sua eum conscientia vehementer admonebat, ne pec-

cando Deum lethaliter offenderet, ne Christum in corde suo crucifigeret, ne aeternae gloriae ac felicitati renuntians inferni cruciatibus se devoveret; in memoriam tandem ei verba Christi revocabat : *Qua hora non putatis Filius hominis veniet*. Sic Deus omnes interius monet, qui filii sui sunt, dum tentantur; sic conscientia clamat, orationem imperat et pugnam indicit. *Quasi a facie colubri fuge peccatum* (Eccli. 21, 2). Sustine, sustine; *vincenti dabo edere de ligno vitae* (Apoc. 2, 7). *Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (Matt. 11, 12). Nec nisi resistentes divinae motioni, atque invitanti voci aures suas obturantes in peccatum incidunt.

Tertium punctum. — *Lapsus*. Ab his igitur omnibus avertens sese, nec ad Deum se convertens, sivit intrare tentationem; et quamvis sciret posse se et debere resistere, post aliquam haesitantiam, devictis remorsibus, peccato consensit, legemque Dei pedibus impudenter conculcavit, atque ex amico peccator illico hostisque factus est Dei, et servus diaboli. Quam lugenda facta in eo mutatio est! *Deinde,* pergit supradictus Apostolus, *concupiscentia cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*

(Jac. 1, 15). Mortuus namque ille est Deo; mortua et omnia ejus praeterita merita; mortua in eo et gratia et vita divina; mortuum et spirituale gaudium, cui atrorum remorsuum tristissimum acumen successit. *Quis restitit ei (Deo), et pacem habuit* (Job. 9, 4)? Felicem se per peccatum putaverat futurum; et ecce, post brevem ac vanam voluptatem, dolorem concepit et conturbationem. *Gustavi paululum mellis..., et ecce morior* (Reg. 14, 43). — *Qui autem faciunt peccatum, et iniquitatem, hostes sunt animae suae* (Tob. 12, 10). — *Tribulatio et angustia in omnem animam operantis malum* (Rom. 2, 9).

Colloquium cum Jesu crucifixo, et *Pater noster*.

SECUNDUM EXERCITIUM

UNIUS ILLIUS PECCATI SEQUELAE

Solita oratio et eadem praeambula.

Primum punctum. — *Sequelae in anima.* Quod Adam post peccatum est expertus, id et peccator noster experitur. Adam Dei prae-

sentiam reformidavit; eam et ipse reformidat. Scit enim Deum non amplius sibi esse patrem, sed hostem et judicem; scit se non amplius esse Dei filium, sed rebellem ejus inimicum; scit crucifixisse se in corde suo Filium Dei; scit se caelum amisisse, nec audet in illud oculos attollere; concidit vultus ejus, nec proximos ipsos, quasi sceleris sui conscii essent, libere et candide audet intueri.

In anima autem ejus, quot et quantae ruinae! Ecce qui ante peccatum versabatur et ambulabat in admirabili lumine Jesu, jam pro lumine involvitur tenebris intellectus, pro luce Spiritus Sancti qui ante in eo habitabat, dominum et tyrannum habet principem tenebrarum, angelum barathri illius infernalis, in quo sempiternus horror inhabitat. Hinc nec Mysteriis fidei, nec Passione, nec SS. Eucharistia, nec divina Bonitate, immo nec multum misero suo statu movetur; orationis fastidio et taedio affectus, desperationi quasi vicinus, vixnon omni amissa in Deum fiducia, conversioni repugnat, quam ut difficilem, aut forte ut impossibilem jam habet.

In voluntate vero quanta ex peccato debilitas! Animo cecidit; et vires animi ejus omni-

no collapsae videntur. Recedens a divinis ac caelestibus en ad humana et terrena quasi totus propendet, paratus, si veniant iterum tentationes, iterum victas dare hosti manus novis vinculis constringendas.

Secundum punctum. — *Damnati illius mors.*

1. *Mors subitanea.* Multi in ipso actu peccati morte perculsi sunt. O horrenda mors, in qua ictu oculi e sinu voluptatis praecipitantur in infernum! *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (Hebr. 10, 31). Sin minus in ipso actu peccati, saltem antequam poenitentiam ageret, damnatus ille subito mori potuit. Sua eum remordebat conscientia et ad poenitentiam hortabatur : immo multoties forte eum divina inspiratio ad faciendam confessionem excitaverat. Sed sive ex confusione confitendi peccatum, sive ex negligentia, sive propter appropinquans tempus paschale, sive propter firmam suam valetudinem, conversionem differens, ecce ex improviso, iniquo qualicumque casu morte corripitur. *Quam multi,* ait Auctor Imit., *putantes diu vivere, decepti sunt, et insperate de corpore extracti! Quoties audisti a dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto corruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit. Alius*

igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interiit; et sic omnium finis mors est, et vita hominum tanquam umbra subito pertransit (1. 23).

At enim hoc mihi, inquies, probabiliter non accidet. Ita et omnes dicebant et sentiebant qui morte subito correpti sunt. Quanta ergo imprudentia, aeternitatem probabilitati committere!

2. *Praevisae mortis angores.* Si ex morbo damnatus ille interiit, quam tristes, quam angoribus plenos dies duxit ad mortem usque; Qui in certo degens peccato, quoties incertitudines mortis cum tremore prospexit! quoties decumbens cogitationem mortis importunam rejecit! quoties intra se etiam invitus dixit : Si hac nocte moriar, expergefiam in inferno! Jam age, quis nobis patefaciet quomodo consistens homo in peccato mortali audeat se noctis somno committere, cum nesciat utrum mane sit cum vivis surrecturus? Quis dicat quot mortui in lectulo inventi fuerint, qui pridie vespere bene valentes, forte laeti luserant? Neque hoc ignorabat damnatus ille; atque inde terrores, quos bona confessio excussisset. Quibus rebus adde quod et medicis plerumque mortis periculum celantibus, et propinquis ad agoniam usque decipientibus,

illusiones suas sibi peccator nutriat, donec vel sensibus jam destituto, vel immo emortuo jam cadaveri, adveniat sero vocatus, nunc impotens confessarius.

3. Quantis vero interim in terroribus miser ille, venientem jamjam ad se mortem prospexit! Quanta ejus turbatio de peccato adhuc in se vivente! vellet quidem mortem a se arcere, atque horam cum confessario transigendam obtinere; at continuo in abyssum tristitiae et desperationis incidens, dum super caput suum evaginatum divinae justitiae gladium suspicit, dum et ante se mortem sibi jam imminentem, et sub se infernum dilatantem os suum exhorrens contemplatur, ultimum evomit spiritum. *Mors peccatorum pessima* (Ps. 33, 21).

Tertium punctum. — *Damnatio.* Eo ipso momento quo miser ille expiravit, cecidit in infernum, vel potius fuit in inferno, ita ut inter mori et esse in inferno, ne minimum quidem temporis punctum intervenerit. O quam terribilis primus desperationis ejus clamor fuit : Damnatus sum! Eheu! damnatus sum! Quoties aeternitatis pondere oppressus ingemuit : in aeternum! in aeternum! Quam desperate ingentibus flammis exustus ululare

coepit, in aeternum ululaturus! *Cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum. — O si daretur hora!* Sed hora non dabitur : in inferno enim nulla est redemptio. *Periisse semel, aeternum est.* O momentum voluptatis, ex quo gehennalium tormentorum aternitas! *Gustavi paululum mellis,* illudque amaritudine et veneno plenum, *et ecce* in aeternum *morior.*

Finge te in eo adhuc esse momento quo ultimum commisisti mortale peccatum, finge et tunc irruere in te mortem, teque in infernum collapsum et clamantem : damnatus sum! Quare hoc tibi, sicut misero illi non accidit? *Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti* (THREN. 3, 12).

Colloquium cum Jesu crucifixo, et *Pater noster.*

Tertium et Quartum exercitium : Repetitio utriusque praecedentis cum triplici colloquio.

QUINTUM EXERCITIUM

ERIT APPLICATIO SENSUUM AD PARTICULARE DAMNATI ILLIUS JUDICIUM

1. Ejus apparitio coram Judice Christo. 2. Causae instructio. 3. Sententia.

Solita oratio praeparatoria, et eadem praeambula.

Primum punctum. — *Apparitio coram Judice.* Sicut Sancti ipsi, ubi se eis Deus aliquantum revelavit, sancto tremore concussi sunt; sicut Moyses, statim ac de medio rubi audivit : *Ne appropies huc... Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, abscondit faciem suam; non enim audebat aspicere contra Deum* (Exod. 3, 5); sicut in simili visione adeo territus Daniel fuit, ut de se diceret : *Horruit spiritus meus... non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quidquam virium* (Dan. 7, 15); sicut de pastoribus, non Deum, sed Angelum Dei, videntibus dicit Lucas : *Timuerunt timore magno* (Luc. 2, 9); sicut de impio rege Baltassar, cum articulos portentosae manus scribentis contra candelabrum in

superficie parietis aspiceret, scribit Daniel : *Tunc facies regis commutata est, et cogitationes ejus conturbabant eum : et compages renum ejus solvebantur, et genua ejus ad se invicem collidebantur* (Dan. 5, 6); sic videbo imaginationis visu peccatorem, statim post mortem, solum, consistentem coram eo ipso Deo, quem sprevit, et de cujus throno *procedunt fulgura, et voces, et tonitrua* (Apoc. 4, 5).

Aspiciam quantum contremiscat coram Christo judice, cujus sunt *oculi tanquam flamma ignis* (Apoc. 1, 14), *de cujus ore procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes, qui et calcabit torcular vini furoris irae Dei omnipotentis* (Io. 16). Audiam imaginarie compressos tremebundae animae gemitus; et quasi tangam quantus sit ejus stupor et dolor, dum infinitae Dei majestatis pondere opprimitur. Aspiciam quoque reverenter illum, Majestatis et Potentiae plenum vultum Dei nunc primum animae illi se manifestantis, ac frigide, contemptu et implacabili ira, devictum inimicum et dejectum, aspicientis. Audiam momentaneum illud terribile silentium se mutuo aspicientium : hinc tranquille perspectantis, illinc trementis et divinum aspectum effugere non valentis.

Hanc confusionem mihi quoque ob tot et tanta peccata debitam recogitabo.

Secundum punctum. — *Causa instruitur.* Imaginationis visu aspiciam damnandam illam animam, dum peccati sui et *gravitatem* et *malitiam* plenissime et apertissime agnoscit. Gustu interiore amaram illam memoriam percipiam, qua opprimitur, qua per singula suae vitae tempora gratias acceptas clarissime animadvertit, et ignaviam suam ac teporem, indeque consecutum lapsum. Olfactu simul quasi spiritualem foetorem tantae rebellionis ac vilipensionis contra tantam *Creatoris ac Domini sui* Bonitatem, cum ipsa misera illa anima apprehendam. Recogitabo interea quam justa damnationis sententia jam sit ferenda. Tactu interiore angores et confusionem illius animae persentiscam, dum revelatam se sibi ipsam animadvertens, horrore et dolore percussa coram Deo Domino suo judicanda assistit.

Auditu pariter imaginabor verba Dei, plena et durae frigiditatis, et irae placidissimae qualem omnipotentiam decet, et claritatis lucidissimae quali Sapientia infinita culpas earumque foeditatem ostendit, et tremendae exactitudinis et rigoris ad ultimum quadran-

tem, quales sanctissimam justitiam ornant, provocatamque horrendo abusu et ingratitudine bonitatem, ad vindictam irritatam convertunt.

Admirans interim *quam juste ob unicum illud peccatum damnetur anima in aeternum,* justissima Dei judicia formidans, confusionemque meam coram tanto Domino ob mea multo plura peccata sentiens, rubore suffusus simul et grati animi atque amoris affectu erga tantam in me Misericordiam intime commotus et attritus, erigam me ad amantissimum Servatorem, gratiam ulteriorem postulans, melioremque jam frugem promittens.

Tertium punctum. — *Sententia.* Imaginationis auditu audiam, et per singula verba perpendam, terribilem, horrendam atque in aeternum irrevocabilem, quam Christus in damnatum illum protulit sententiam, eamdem scilicet quae in extremo judicio in damnatos omnes proferetur. *Discede a me, maledicte, in ignem aeternum.* Quo audito, miseri illius damnati clamores et ejulatus auscultabo; atque aspiciam quanta sit ejus tristitia et desperatio. Etenim *periisse semel, aeternum est!* Si Esau, eo quod primogeniti jura amisisset, irrugiit clamore magno et consternatus

est, si ejulatu magno flevit, quid damnatus ille inferno mancipatus, amisso caelo, amisso Deo fecerit, ad vivum imaginabor. Quid si, post tot peccata mea, damnatus sicut ille ego fuissem! Quid retribuam Deo? Quid retribuam miserenti Cordi Jesu?

Idem colloquium, et *Pater noster*.

Quarta dies

SECUNDUM EXERCITIUM

SEU MATERIA

FACIENDORUM SECUNDO LOCO EXERCITIORUM

In primo S. Ignatii Exercitio materia meditationum fuere aliena peccata, scilicet Angelorum, primorum parentum et unius damnati; de suis autem peccatis non fuit directe occupatus exercitans nisi fere, ut daemonibus omnibus atque innumeris damnatis ob tot ac tanta sua peccata pejorem et inferiorem esse se et intelligeret et sentiret, indeque contemptum et odium sui conciperet. In hoc autem secundo Exercitio, non jam aliena, sed sua propria peccata numerabit, inspiciet, ponderabit; nec ad pudorem tantum, qui quidem hic iterum multum augebitur, sed et ad magnum et intensum dolorem excitandum, ex quo ad profundam, immo ad perfectam contritionem perveniat.

Patet ex secundo puncto hujus Exercitii S.

Ignatium hic, aeque ac in primo Exercitio, de solo mortali peccato meminisse; atque iterum de eodem aget, ut ex materia ipsa liquet, in tertio et ultimo Exercitio de inferno. Cur igitur de peccato veniali, in quo tamen vere, etsi non graviter, offenditur Dei Majestas et Bonitas non expressius hic meminit? Hujus omissionis plures possunt afferri rationes. Et *primo* quidem, ad salutem sufficit dolere de mortalibus, idque solum absolute est necessarium; *secundo* autem, qui magnum et intensum, qualem supponit Ignatius, dolorem de mortali offensa Dei habet, certo de omni offensa etiam veniali dolebit; *tertio,* cum maxime in hac hebdomada intendat S. Fundator, hominem ad profundum suimet ipsius contemptum et odium adducere, peccata ea commemorat, quae ad hunc finem maxime conducunt; *quarto* denique reliquarum hebdomadarum exercitia tantum Christi amorem provocabunt, ut in charitatis incendio non venialia tantum peccata, sed et omnes venialium radices, inordinatae nimirum affectiones consumantur ac tollantur.

Ast cum multi, vel semper, vel a longo tempore peccati mortalis fuerint expertes, dixerit vero Spiritus Sanctus : *Qui spernit modica*

paulatim decidet (Eccli. 19, 1), sin minus e mente, saltem non contra mentem Sancti Patris erit, quaedam proponere de peccato veniali exercitia; cujus rei convenientia tum magis apparebit, cum ipsemet in praeambulo de inferno peccati venialis mentionem faciet quatenus tales culpae ad mortalia peccata conducunt.

Jam ut meditandi ordo penitus inculcetur, hunc S. P. titulum secundo Exercitio praeponit : *Secundum Exercitium est meditatio de peccatis* (scilicet propriis), *et continet in se, post orationem et duo praeambula, quinque puncta et unum colloquium.*

Notatu dignum est, quod S. P. idem omnino praeambulum in suo secundo atque in suo primo Exercitio fieri jubeat, ut scilicet sensus pudoris et confusionis non modo teneatur, sed et majora semper incrementa accipiat; quo enim major ille sensus fuerit, eo etiam major erit dolor, et ad ipsam sanctitatem efficacior praeparatio ac dispositio.

In secundo autem praeambulo nova petitio gratiae ponitur : *erit hoc loco, petere magnum et intensum* (hispanice *crecido,* id est, qui ita continuo creverit, ut jam in fine magnus factus sit, et vehementer etiam in lacrymas erumpat)

dolorem, et lacrymas de meis peccatis. Quod si Aloysius cum tanto dolore venialia dumtaxat peccata per totam vitam deflevit, quidni et ego, modo cum fidelitate, magno animo, et liberalitate procedam, adjuvante, qui laboranti et volenti nunquam deest, Spiritu Sancto, ad eumdem de peccatis meis mortalibus dolorem perveniam?

In primo puncto quod solum in prima hujus exercitii hora meditandum proponitur, agit S. P., non de *examine,* sed de *processu* peccatorum vitae totius. Examen enim proprie dictum ad solum intellectum et memoriam pertinet, idque efficit ut simpliciter detegantur et sciantur peccata; quae scientia si sola esset, nil ad peccata remittenda vel corrigenda conferret. *Processus* autem animum supponit multitudinem peccatorum continuo sibi succedentium quasi conspicientem ac ponderantem; qui processus ad confusionem et dolorem profecto melius disponit.

Diximus processum fieri debere *totius vitae* peccatorum, ut patet ex primo puncto Exercitii et ex iis quae superius ad generalem etiam non necessariam commendandam confessionem fusius S. P. conscripsit. Qualem processum suadent, etiamsi quis ex revela-

tione disceret omnia sibi condonata esse peccata, tum utilitates confessionis generalis a Sancto Patre enumeratae, tum eximius exinde fructus humilitatis colligendus. Nihil enim magis in Exercitiis intendit Ignatius, quam ut exercitanti omnimodus sui ipsius et contemptus ac sanctum odium per veram nihili sui et multo magis per peccatorum suorum cognitionem inculcentur. Ad quem finem omnia fere tendere Exercitia, si quis ea velit attente sub hoc respectu decurrere, reperiet; in qua humilitate, securitatis a peccato, perfectae obedientiae, divinae charitatis et totius sanctitatis verum et unicum fundamentum consistit.

Hinc non leviter errare illi videntur, qui praesenti vitae suae bonitati confisi ac praeteritorum peccatorum mortalium remissioni, totam vim Exercitiorum sibi in secunda hebdomada esse reponendam existimant; unde primae exercitia satis obiter percurrunt, utpote sibi jam non necessaria. Haec maxima illusio est, quam qui admiserit, similis ei erit qui super arenam, omisso fundamento, aedificat. Non ita Sancti et maxime Ignatius; qui utpote viri sapientes aedificaverunt domum suam supra petram, quae non alia est quam

sui ipsius ex commissis peccatis vere profunda cognitio et permanens per totam vitam profundus sui ipsius contemptus.

Objiciet forte quis non moveri se exercitiis de peccatis mortalibus et de inferno, cum peccata praeterita deleta sint, moveri autem se iis quae ad amandum Deum excitant. — Ergone ad divinum amorem provocandum nihil me juvat, ex una parte infamis mea erga Creatorem ac Dominum rebellio, monstruosa mea erga summum Benefactorem vafrities, mea erga Deum, eumdemque amantissimum Patrem crudelis ingratitudo atque per audacem mandatorum ejus violationem vilipensio; ex altera vero, data a Deo infinito perfecta scelerum meorum condonatio et oblivio? Nihil me juvabit ad amorem videre Christum debita mihi divinae justitiae tela ac fulgura in se suscipientem ac pro peccatis meis in cruce morientem? Ita nequaquam sentiebat Ignatius, qui vividissimum suorum peccatorum, etsi certo deletorum, sensum cum divinae bonitatis et misericordiae memoria ad finem usque vitae suae ita servavit, ut in ipsa ecstasi auditus sit exclamare : O Deus, quid ita tractas talem ac tantum peccatorem!

Aliunde si Deus tanto cum amore peccata

mea dignatus est oblivisci, num ea et me oblivisci decet? Quod Deus mihi amanter condonaverit, hoc opus miserentis Dei est; meum autem opus, peccatum est. Condonatio poenas tollit et gratiam reddit, non tollit malitiam. Immo, nonne ex ipsa bonitate Dei crescit meae malitiae sensus?

O utinam cum Ignatio, cum Francisco Borgia, cum Aloysio, cum Teresia et innumeris Sanctis, vivum ac jugiter crescentem ad mortem usque peccatorum nostrorum pudorem, confusionem ac intensum dolorem servaremus, in quo verum, solidum et vix non unicum ad humilitatem reperitur fundamentum.

Jam ad processum illum, universaeque vitae peccatorum recordationem, triplex a Patre Nostro sufficitur adjumentum : locus, conversatio, officium, cum ea tamen cautela, ut praecaveantur tentationes et turbationes quae ex vividis repraesentationibus, praesertim circa sextum mandatum oriri possent.

PRIMUM EXERCITIUM

FIET CIRCA PRIMUM PUNCTUM SECUNDI S. P. EXERCITII

PROCESSUS TOTIUS VITAE PECCATORUM

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, compositio, ut in Exercitio de triplici peccato.

Secundum praeambulum *est petere id quod volo; erit hoc loco, petere magnum et intensum dolorem, et lacrymas de meis peccatis.*

Primum punctum : *Peccata mortalia. Est processus (quidam) peccatorum, scilicet trahere in memoriam omnia peccata vitae meae, inspiciendo (vitam) per annos singulos vel per singula tempora* (i. e. infantiae, adolescentiae, studiorum, officiorum, etc.). *Ad hoc juvant tria : primum, inspicere locum et domum, ubi habitavi; secundum, conversationem, quam habui cum aliis; tertium, officium in quo vixi.*

His positis, peccatorum tuorum mortalium processum contra Decalogum, mandata Ecclesiae et obligationes status respice et considera.

1° *Circa praecepta decalogi.*

1m Mandatum : Infidelitas, desperatio et praesumptio, odium Dei et proximi; impiorum lectio librorum; irreligionis sensus, verba, scripta; sacrilega Sacramentorum receptio : datum forte nomen et opera societatibus Deo et Ecclesiae inimicis.

2m Mandatum : Blasphemiae. seu injuriae Deo, Sanctis, et rebus sacris illatae : perjuria aut injusta juramenta; imprecationes.

3m Mandatum : Profanatio Dominicarum et festorum de praecepto : omissio Missae, opera servilia illegitime facta aut imperata.

4m Mandatum : Quaecumque in materia gravi commissa sunt contra amorem, reverentiam, obedientiam et auxilia debita parentibus, superioribus, praesertim ecclesiasticis, et ipsi legitimae potestati civili.

5m Mandatum : Inflicta sive proximo, sive sibi ipsi, vulnera, occisio. — Duellum, suicidii attentata executio; ebrietas vel sibi vel aliis procurata. — Scandalum.

6m et 9m Mandatum : Quidquid cum venerea delectione deliberate et voluntarie, extra matrimonium, sive cogitatione, sive desiderio, sive aspectu, sive tactu, sive actibus, sive obscoenis lectionibus admissum est. Circum-

stantiae recolantur, quae non raro praeter actum peccaminosum, unum aut etiam plura peccata constituunt.

7^m^ Mandatum : Quaecumque bonorum alterius injusta usurpatio, in furto, emptionibus, venditionibus, contractibus, etc. Injusta pretii operariis debiti detentio. — Non solvere debita. — Pecuniam commodatam accipere, quam scit quis se non redditurum, etc.

8^m^ Mandatum : Detractio famae gravis. — calumnia cum gravi famae aut fortunae detrimento. — Mendacium cum gravi detrimento.

10^m^ : Concupiscentia gravis peccati voluntarie admissa.

2° *Circa Ecclesiae mandata :* Non sanctificare festa de praecepto.

Omittere annuam confessionem mortalium peccatorum, item communionem paschalem; item ultima Sacramenta in periculo mortis.

Edere cibos vetitos statutis ab Ecclesia diebus, et praeceptum jejunii sine causa legitima transgredi.

3° *Obligationes* status : Peccant graviter parentes qui in doctrina christiana et pietate liberos suos non informant, et qui eos magistris religionem negligentibus instruendos

tradunt; item ii qui gravi cum detrimento obligationibus status sui desunt.

Secundum punctum. — *Peccata venialia.* Quamvis S. P. in praesentibus exercitiis de peccatis mortalibus tantum ex professo agat, et non nisi indirecte in praeambulo de inferno minores offensas quae ad mortalem disponunt, insinuet, tamen, cum scopus ejus sit non dolorem tantum, sed et proprium contemptum odiumque sui excitare, certe contra ejus mentem non est, ut de venialibus peccatis, immo et de tepore et ignavia meditatio instituatur; sic enim fiet ut anima se totam, sin minus maculis mortalium peccatorum hinc inde conspurcatam, saltem luto ac pulvere se foedatam reperiat et omni ex parte odibilem.

Processus peccatorum venialium, seu innumera peccatorum meorum venialium series :

1. *Erga Dei cultum.* Quot irreverentiae, distractiones voluntariae in orationibus meis, ita ut et de me quodam sensu dici possit : *oratio ejus fiat ei in peccatum* (Ps. 108)! Quanta coram Sanctissimo Sacramento rusticitas! Quantae mentis divagationes! Quanta in ipsa S. Communione ex negligentia tepiditas! Quantus in gratiarum actione torpor, quanta indifferentia!

2. *Erga me.* Quot inordinationes in cibo et potu, in affectionibus, in oculorum, aurium et linguae usu ac custodia, in propria quaerenda gloria, in vanitate vestium, in impatientiis, in aversionibus et rancoribus! Quot in omni genere sensualitatis actus! Quot verba vanitatis aut superbiae! Ubique foetor...

3. *Erga proximum.* Quot odia, levia quidem, vera nihilominus odia, nec abscondita? Quot veniales detractiones! Quot verba injuriosa aut pungentia! Quot contra charitatem suspiciones aut judicia! Quot invidiae et subdolae persecutiones! Quot irrisiones! Quanta in pauperes durities atque avaritia! Quot crises et murmurationes! Quot inobedientiae! Quot negligentiae vel omissiones in munere et officio! Quot iracundae reprehensiones! Quot delicta, defectus et incuriae in invigilando subditis! etc.

Tertium punctum : *Tepor et ignavia.* Quam pulchra et laudabilis in divino servitio liberalitas est, tam est vilis et incusanda socordia et ignavia! Jam vero in omni mea agendi ratione propriis commodis studeo, ab omni mortificatione, abnegatione, incommodo, abhorreo; orationi minimum temporis concedo; divinis officiis, quantum necesse est, non

ultra, intersum. Tentationibus tepide et sine vigore resisto; in rebus spiritualibus parcus et avarus, conviviis delector, cibo et potui animaliter intentus; somno ultra necessitatem ex pigritia et mollitie indulgeo; in oratione piger sum et remissus; quae mihi naturaliter placent quaero, fugio quae displicent; festinus ad ludos, tardus sum ad laborem; verbo, naturam sequor, nec didici vincere meipsum.

Ista omnium totius vitae peccatorum memoria materia necessaria ac praerequisita est ad reliqua secundi Exercitii a S. P. posita. Quantum autem ingens ille peccatorum processus ad pudorem et confusionem conferat, nemo non videt.

Concludere colloquio misericordiae, ratiocinando et gratias agendo Deo Domino nostro, quod mihi dederit vitam usque adhuc, proponendo in posterum emendationem cum ejus gratia.

Multum insistit S. P. affectibus seu actibus voluntatis, non ita tamen ut non praecedat solida profundaque rationis convictio. Nisi enim hoc convictionis fundamentum prius fuerit positum, cito affectus evanescent, nec vestigia post se relinquent. Ideo ponit ante omnia : *ratiocinando*. Ratiocinationis hujus materiam totum secundum Exercitium, quod

ab initio ad finem in ratione versatur, abunde subministrabit. In colloquio non jam secum tantum ratiocinabitur exercitans, sed et cum Deo ipso sibi praesente arguet seipsum, et suam iniquitatem tam sibi nunc perspectam in amaritudine animae suae et cum magna confusione confitebitur. Si Deus, cum tantopere eum offenderem ac vilipenderem, me tali die, tali anno, pro meo merito mori fecisset, quanto jam a tempore aeternis flammis cruciarer! Tot millenos alios, qui minus peccaverant damnavit in aeternum. Me igitur, cum sit donorum suorum dominus, plus illis omnibus amavit, cum tamen ei tam foede essem infensus. Ex his et ex perspecta, tum meorum peccatorum gravitate et malitia, tum specialissima Dei erga me misericordia et charitate, nascetur dolor ex amore, et cum ingenti affectu gratiarum actio : *et gratias agendo Deo Domino nostro quod dederit vitam usque adhuc*. Haec contritio de peccatis perfecta est, nec minus perfectum est propositum : *proponendo in posterum emendationem cum ejus gratia. Pater noster.*

Secundum exercitium desumetur ex secundo puncto secundi S. P. N. Exercitii, quod sic sonat : *secundum, ponderare peccata, inspi-*

ciendo (considerando) foeditatem et malitiam, quam quodvis peccatum mortale commissum habet in se, etiamsi non esset prohibitum.

In praecedenti exercitio peccata inventa et *numerata* sunt; in hoc autem *ponderantur,* non quidem adhuc sub omni respectu, sed in se solum, atque in quantum personam quae illa commisit conspurcant. Procedit enim S. P. in 2° Exercitio per partes et crescendo semper. In sequentibus de offensa Dei agetur, in qua maxime enormitas peccati consistit; hic proprie offensam in se ipsa peccator considerat; quae offensa mire facit ad praeparandum divinae offensionis sensum. Quo enim plus de seipso erubuerit, eo etiam magis disponetur ad sibi indignandum, quod, seipsum deturpans, Deum ac Dominum tam insolenter, tam turpiter offenderit. Abstrahit igitur hic S. P. a lege Dei prohibente, ut peccatum in se tantum ac in peccatore meditetur : *etiamsi non esset prohibitum* et consequenter nec aeternis suppliciis puniendum. Vult autem non peccatorum in genere tantum foeditas ac malitia consideretur, sed et singulorum peccatorum mortalium : *quam quodvis peccatum mortale commissum habet in se.* Ampla illa materia tribus punctis sequentibus continebitur.

SECUNDUM EXERCITIUM

PECCATORUM FOEDITAS ET MALITIA

Solita oratio praeparatoria.

Praeambula eadem quae in praecedenti exercitio.

Primum punctum. — Foeditas omnium peccatorum in genere.

Foedum in se est peccatum in genere. Nam

1. Hominem facit, ait S. Spiritus, jumentis insipientibus similem. *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.*

In quo enim et dignitas et natura hominis consistit, nisi in eo quod ratione sit praeditus ac ratione se regat? Jam vero peccator, cum in quocumque peccato contra rationis dictamen procedat, amittit id quod homini essentiale et praecipuum est, rationis usum, et consequenter descendit ad secundum creaturarum genus, scilicet ad bestias, quae sine intellectu sunt, immo et inferior bestiis ipsis efficitur; nam istae ex indito sibi instinctu ac proinde conformiter ad suam naturam, operantur;

peccator vero peccare nunquam potest, quin aliquem ponat actum naturae sibi inditae ac suae essentiae naturali contrarium. Hinc in omni acceptione vocis, peccatum est rationalis creaturae a gradu suo dejectio. Id sentit peccator ipse, etsi plerumque, nisi cum ad Deum redit, confiteri suam turpitudinem nolit; hinc in eo ignominiosae dejectionis signa, ira ac morositas. Hinc peccatorum absconsio et excusationes in peccatis.

2. Praeterea in vilissimam servitutem incidit, peccati nimirum ac diaboli. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (Is. 1, 34), servus gulae, servus luxuriae, servus superbiae, servus ventris. Caino dixerat Deus a principio : *sub te erit appetitus ejus* (peccati), *et tu dominaberis illius* (Gen. 4, 7). Peccator autem per turpissimam ignaviam et dedecus vitiis vinci se sinit.

3. Sicut vermis pomum putrefacit, sicut rubigo corrumpit ferrum, sicut erodit tinea vestimentum, sicut ignis consumit palatium, sicut cancer corrodit carnes et affert mortem, ita et animam corrodit peccatum.

Secundum punctum. — Foedum in se est quodvis peccatum in specie.

Foedum non est ita superbire ac tam stulte

propriam rationem magnifacere, ut a priori revelatio divina rejiciatur, quia revelatae veritates supra captum exiguae nostrae comprehensionis sunt; ac ne motiva quidem credibilitatis velle in examen adducere, quasi infinita Dei scientia nostrae scientiae terminis conscriberetur, aut quasi credere Deo creatura non deberet nec eum audire? O putida illius insolentia, qui Theologiae forsan ignarus supra ingentem tot ac tantorum Ecclesiae Doctorum nubem se extollit!

Non foedum est, divinae bonitati et misericordiae injuriam per desperationem inferre, aut ex praesumptione Deum offendere, ex eo praecise quod bonus sit et misericors?

Non foedum est, Deum infinite bonum ac boni omnis auctorem, odisse ac contemnere, eum blasphemare, atque injuriis afficere?

Non foeda est illius hypocrisis, qui fingens dolorem de peccatis, sacrilegam absolutionem accipit, aut sacrilege osculo Judae cum ficta pietate, cum ficta reverentia Jesum in sacra communione excipit?

Non foedum est, ita superbire, ut non solum adoratio, sed omnis etiam oratio Deo Creatori ac Domino universorum a pusilla creatura denegetur?

Non foedum est, patri, matri, Superioribus insultare, eos moerore afficere, iis obedientiam et obsequia insolenter detrectare?

Non foedum est, sui similes odio prosequi, spirare vindictam, et proximo afflictionem, vulnera aut mortem inferre?

Non foeda est ebrietas, quae amentiam procreat, provocat ludibria, miseras familias reddit, et pejorem belluis hominem efficit?

Non foeda est luxuria, quae nomen habet peccatum per excellentiam turpe? Impudicum vocat Spiritus Sanctus : *Sus lota in volutabro luti*. Idem ait : *Putredo et vermes haereditabunt illum* (Eccli. 19, 3). Tandem si *animalis homo* (id est solis suis facultatibus naturalibus utens) *non percipit ea quae sunt Spiritus Dei* (1. Cor. 2, 14), a fortiori ille ea percipere non potest, qui satanae deditus fidem negavit, impudicitiae se tradit, et, ut in Apoc. legitur, *caractere bestiae* est insignitus.

Non foedum est furari? Qui furem alium appellat, mortali, judicio hominum, injuria eum afficit.

Non foeda est duplicitas cordis, non foedum perjurium? non foeda detractio et calumnia?

Et sic de omnibus peccatis.

Tertium punctum. — *Malitia* peccati in se.

I. Malitia dicitur a malo, cui se peccator addicit. Qui justitiam operantur dicuntur boni, mali vero qui operantur iniquitatem. Quam amabiles sunt boni, tam sunt mali odibiles. Compara cum parva sorore pauperum blasphematorem, impium, vindicativum, homicidam, ebriosum, furem, impudicum.

Solus in toto orbe peccator malum morale operatur. De ceteris omnibus Creator dixit quod essent bona et valde bona. Neque ex ignorantia aut necessitate peccata committit homo, sed scienter, libere et cum plena mali voluntate, contra dictamen et remorsum conscientiae; ex mera nempe malitia operatur, Immo tam bene scit perverse se et turpiter agere, ut prae rubore vel omittat confiteri, vel si confiteatur, id saepius sine sinceritate faciat.

Adeo malitiae suae conscius est, ut peccata vel occulte committat, si potest; vel si appareant, sub ementita specie boni et honesti eorum malitiam a se declinare conetur. Quis peccatorem inveniat qui malum ut malum prosequi se fateatur? Impius contendit religionem esse superstitionem; impudicus castitatem esse contra naturam; duelli sectator sub honoris defendendi velamine suam sitim

sanguinis et homicidium contegit. Sic omnis peccator excusationes in peccatis protendit. Ast

Malitiam non tantum, sed totam suam malitiam novit ac videt peccator. Novit Deum esse infinitum atque infinite bonum; nihilominus eum odit, blasphemat et tollere vellet. Novit Christum pro peccatis nostris pertulisse crucis supplicium; nihilominus contemptui eum habet iterumque in corde suo crucifigit. Novit Filium Dei in SS. Eucharistia esse praesentem; nihilominus SS. Sacrificio interesse non curat, aut Christum in anima peccato et diabolo subdita sacrilege suscipit.

Novit impudicus nociturum se non animae tantum suae, sed et corpori, ita ut exinde crudelibus et turpibus futurus sit morbis obnoxius; nihilominus adeo mali cupidine pertrahi se sinit, ut sanitatem mentis et corporis, immo et honorem suum flocci faciat.

Novit impudicus quanta mala victimis suis per scandalum sit illaturus; nihilominus innocentes gratia, honore et felicitate spoliat, infernalem in eis ignem accendit, ac eos aeternae damnationi devovet.

II. Sequelae malitiae, ejusque progressus per exempla.

Ad triplicem fontem peccata omnia referenda sunt : *Omne quod est in mundo,* ait S. Joannes, *concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae.* (1. Io. 2, 16.)

Concupiscentiae carnis exemplum sit non Herodes tantum, sed et puella saltatrix cum matre sua. Quo ad innocentissimi ac sanctissimi Joannis crudelissimam decollationem devenere, nisi luxuriae malitia? Innumera sunt quae afferri possent similia ferinae crudelitatis exempla. Quot praeterea per impudicitiam infortunia, quot fortunarum eversiones, quot duella, quot homicidia, quot suicidia et damnationes!

Concupiscentiae oculorum, scilicet divitiarum, exemplum sit Judas, qui ex pecuniae amore proditor evasit et deicida. Eum, quem sciebat esse Deum ac Dominum, Judaeis pro triginta argenteis trucidandum tradidit. Dein videns Jesum morte damnatum, et sentiens, afflante diabolo, sceleris sui immanitatem, desperabundus laqueo se suspendit, exhalavit animam in infernum, et corpus ejus *crepuit medium et diffusa sunt viscera ejus* (Act. 1, 18). En quo duxit eum pecuniae maledictus amor.

Superbiae vitae se dedere rebelles angeli, qui, amisso caelo, detrusi sunt in infernum.

Exemplum dedere in V. T. Aman illi patibulo suspensus, quod Mardochaeo paraverat, et Nabuchodonosor ad conditionem jumentorum per septem annos damnatus; in N. T. multi haeresiarchae, ut Arius et Nestorius, necnon in statu etiam religioso nonnulli sacerdotes, qui propter suam superbiam a sublimi vocatione sua exciderunt ac misere in mundo perierunt. Nemo est, praeter humilem, de sua salute securus. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum* (MATT. 18, 3). *Odibilis coram Deo est et hominibus superbia* (ECCLI. 10, 7).

Idem in fine colloquium, et *Pater noster*.

Tertium et Quartum exercitium, *repetitiones utriusque praecedentis,* cum triplici colloquio.

QUINTUM EXERCITIUM

ERIT APPLICATIO SENSUUM AD PRIMUM PRAEAMBULUM

Solita Oratio praeparatoria, et eadem iterum praeambula.

Primum punctum. — *Anima in corpore.* Postquam tota die infinitam miseriarum sua-

rum multitudinem ac foeditatem animo revolvit ac cum horrore introspexit exercitans, vixnon sponte ad infelicem suam in hoc mundo conditionem coram Deo contemplandam se convertet, et praeambuli S. P. sensu nunc maxime imbuetur et perfundetur.

Videre visu imaginationis, ait S. P., et considerare animam meam esse in hoc corpore corruptibili (tanquam) carcere (s. ergastulo) inclusam. Non ita de corpore suo, in quo gloriantur, caeci ac vani homines sentiunt, nec ita ante conversionem suam sentiebat Ignatius. Ita vero sentiunt illi omnes qui in admirabili Dei lumine versantur.

Finge tibi scelestum hominem mortis damnationem in horrido, in angusto, in tenebricoso carcere exspectantem. Omnia circa eum foeda, tristia, horribilia et plena sordibus. Vix aliquo eoque maligno luminis radio tristissimum illud habitaculum illustratur. Talis est in re, non mundi, sed Dei judicio ac tuo, si sapis, carcer corporis tui. Exiguum in eo divinarum ac aeternarum veritatum lumen est : carcer est tenebricosus, in quo omnium etiam turpissimarum concupiscentiarum fomes habitat; in quo foeda omnia spurcitie peccatorum. Quemadmodum reo mortis nulla

magis inimica carcere habitatio est, ita et homini lapso, nec diabolus, nec totus infernus, nec ulli persecutores magis ei sunt inimici quam corpus ejus. Quamvis enim corpus cum anima sit in inferno comburendum, nihilominus animam in ruinam aeternam pertrahere sine ulla intermissione tentat. Spirituali illi corruptioni, adde et materialem. Quid enim humanum corpus est, nisi saccus immunditiarum, foedissimorum morborum fomes, donec post mortem putrescat et fiat esca vermium. Hinc implacabile illud odium, quo tot Sancti in corpus suum arserunt, jejuniis, flagellis, ciliciis et omni cruciatuum genere illud persequentes et affligentes. *Vincere aut mori!*

Secundum punctum. — *Totum compositum (animae et corporis) ejectum inter bruta animalia.* Unde ejectus homo? ex amoenissimo paradiso voluptatis. Qualis ejectus? *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Cum enim contra rationem agendo, rationem abdicasset, et se bestiis adaequasset, Deus eum bestiarum pellibus pro vestibus induit; eumque intra bruta animalia, non tantum sibi similia, sed jam inimica relegavit. Neque is veste tan-

tum bestiis similis factus est, sed et moribus, leonis rugitum ac ferocitatem per iram in se referens, tigridis ac leopardorum crudelitatem per vindictam, duellum et homicidium; serpentis calliditatem per hypocrisim, pavonis elationem per vanitatem et superbiam, porcorum immunditiam per mentis, sensuum et corporis impudicitiam. O foeda, o omni vituperio et odio digna corruptio et transformatio! *Domine... sagittae tuae infixae sunt mihi : et confirmasti super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea a facie insipientiae meae. Miser factus sum et conturbatus usque in finem : et non est sanitas in carne mea. Afflictus sum et humiliatus sum nimis* (Ps. 37).

Tertium punctum. — *Miseriae mundi. Totum compositum in hac valle tanquam exulans (ejectum in exilium).* Homini morte damnato vitam Deus produxit, sed eum ejecit in exilium. Quid tristius filio quam a Patre ejici in exilium! Terra in qua victurus est maledicta est; ipse vero exul est, exul a paradiso, exul a patria, exul a patre, filius irae! Vere confirmavit super eum, propter peccatum, iratus Dominus manum suam.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, multis repletur miseriis. Quot miseriae corpo-

rales ex fame, siti, fatigatione, aestu, frigore! Quot infirmitates, quot morbi omnis generis, quot casus adversi, quot amissiones bonorum! Quot miseriae ex parte aliorum! invidiae, injustitiae, odia, famae detractio, falsa judicia, iniquae suspiciones, persecutiones, injuriae, ingratitudo! Quot miseriae in ipsa familia? Quam paucae admodum familiae sunt, inter eas etiam quas beatas reputant, quae intimis ac latentibus non urantur doloribus? Sed temporalia illa omnia sunt, hujusque vitae terminos non excedunt atque in aeterna bona converti valent.

Quanto autem majora hujus exilii moralia mala sunt! Vel enim homo vitiis indulget, vel iis obsistit ac virtutem exercet. Si passionibus suis abripi se sinit, fit illico miserrimus, remorsibus exesus sibi ipsi vilescit, animo dejicitur, in nova scelera praeceps agitur et in novas miserias, seipsum et alios dilaniat, desperat et quandoque, ut Judas, vitae pertaesus seipsum perimit et in infernum descendit.

Si vero vitiis bellum indicit et divino se tradit servitio, interna quidem pace fruitur, sed quot et quam amaris pugnis est obnoxius! Diabolus omnibus inimicis saevior, crudelior

et perfidior justum obsedit, nihilque non movet ut eum in peccatum trahat. *Tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret* (1 Petr. 5). Retia et catenas admovet, nullisque parcit insidiis. Ubi vero nec vi nec fraude res ei succedit, tentatam animam perturbat scrupulis, falsis rationibus implicat, et ad tristitiam perducit, immo, si possit, ad ipsam desperationem : si animae nocere non valet, corpori saltem nocere conatur. Ex parte mundi, qui totus est in maligno positus, quot ad libidinem attractiones, spectaculis, saltationibus, obscoenis lusibus, vestibus inverecundis, lascivis gestibus ac verbis, apertis aut subdolis seductionibus! At in se ipso inexhaustum bellorum et periculorum fontem homo invenit. Continuas animae corpus molitur insidias; misera anima in corporis ergastulo per sensus, per oculos praesertim, cum creaturis communicans semper in periculo est ut mortem hauriat. Quam apte dixit Auctor Imitationis : « Vere miseria est vita hominis super » terram. Quanto homo voluerit esse spiri- » tualior, tanto praesens vita fit ei amarior : » quia sentit melius, et videt clarius humanae » corruptionis defectus. » Ideo ait Psalmista: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!*

Ideo ad B. Virginem conversi dicimus : « Ad » te clamamus exules filii Evae : ad te suspi- » ramus gementes et flentes in hac lacryma- » rum valle. » Ideo et Paulus : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* (Rom. 7, 24)? Illa autem omnia, ex peccato.

In fine, idem triplex colloquium et *Pater noster*.

Quinta dies

PRIMUM EXERCITIUM

FIET EX TERTIO PUNCTO SECUNDI S. P. EXERCITII

Scilicet, *quis sim ego qui Deum mortaliter offendi*. Tribus punctis hoc exercitium continebitur : 1° Quid sum cum ceteris rationalibus creaturis comparatus? 2° Quid in me sum quoad corpus; et quid 3° quoad animam?

Primum punctum. — *Inspicere (considerare) quis sim ego, minuendo meipsum per exempla : primo, quantus sim ego in comparatione omnium hominum : secundo, quid sint homines in comparatione omnium Angelorum et Sanctorum Paradisi : tertio inspicere quid omnia creata in comparatione Dei; jam ego solus quid esse possim?*

Hujus exercitii scopus summi momenti est ut gravitatem peccatorum suorum exercitans intelligat. In praecedentibus consideravit *quid* fecerit, multa nimirum peccata mortalia, eaque omnia in se foeda et pessima; in praesenti exercitio considerandum est quam vilis

ille sit ac nullius valoris qui tot nefanda insolenter patravit. Hinc orietur iterum pudor et abjectissima humiliatio, sine qua magnus et intensus dolor de peccatis non poterit existere. Cum autem homo incredibiliter supra meritum se aestimet, nihil non adhibet S. P., ut homo *minuat* seipsum, et quantum fieri potest, ad sinceram sui cognitionem adducatur; cum praeterea homo se aliis praeferendo superbiae indulgeat, incipit Ignatius a comparatione quae ipsum ad nihilum in veritate deducat. Ut autem hoc vere obtineatur, consideratio qualiscumque atque obiter facta nequaquam sufficit; ideo dicitur : *inspicere,* id est intus, intime oculis mentis scrutari, quod multo plus dicit quam *considerare.* Ad hoc personalis animae labor requiritur, quem semper ab exercitante exigit S. Fundator : labor autem hic in eo iterum consistit, ut exercitans in duplicem abyssum descendat, ac per completam sui cognitionem ad abjectissimum sensum suipsius perveniat. Prima abysso, in quam per comparationes descendit, reperit se esse nihil; unde omne bonum quod inesse sibi putabat evanescit. Altera, autem abysso, in quam per considerationem et sui corporis et animae suae descendet, in-

time et cum immenso pudore sentiet non tantum esse se nihil, sed et, quo nihil foedius et abjectius, peccatum et corruptionem. Inde pretiosissimum a S. P. intentum fructum colliget, nempe perfectum sui et contemptum et odium; ex hoc autem contemptu et odio facilis ad aestimationem et amorem Dei via sternitur.

1. *Quantus sim ego in comparatione omnium hominum.* In multitudine tot millies millium hominum, paucissimi, et, ut ita dicam, fere nulli nomen ipsum meum norunt; post meam autem mortem, ne locus quidem meus reperietur, et omnia, quasi nunquam extitissem, procedent, immo forte melius. Lapillulus sum, qui in mare mundi projectus ne resonat quidem auribus; guttula sum in immensitate pelagi.

Verum si in divinae aestimationis statera quae justa et certa est, de rerum valore judicamus, quid veri habent pretii illa omnia propter quae extollor et superbio? quid honores, quid divitiae, quid scientia, quid naturales corporis aut animi dotes? Haec omnia praesentis saeculi ornamenta cum vita finiunt et post mortem, per se nullius amplius erunt valoris ac meriti. Virtus, pietas, sanctitas soli veri thesauri sunt, coram Deo, solique in

aeternum permansuri; atque sub hoc praesertim respectu, scilicet quoad moralem valorem, vult S. P., ut praesentes comparationes instituam; nam exinde multo profundior et verior humiliatio enascetur. Jam vero quanta sunt mea in exercitio virtutum merita, si ea cum tot millionum animarum nunc in orbe degentium meritis comparem? O si nossent me homines sicut me novit Deus, quam nihili me facerent, quantum me contemnerent, pauperrimum nempe et inflatum superbia!

2. *Quid sint homines in comparatione omnium Angelorum et Sanctorum Paradisi,* quoad multitudinem et excellentiam.

Quoad *multitudinem :* ut Angelorum quasi infinitam multitudinem quoquomodo Daniel propheta exprimat, ait : *millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* (Dan. 7, 10). Soli custodes in actu Angeli tot sunt, quot homines. De Sanctorum multitudine aliquomodo significanda agens S. Joannes de iis qui extra populum hebraicum et post Christum salvi facti sunt ait : *Et post haec vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omni tribu, et lingua et populo et natione* (Apoc. 7, 9). Quid ergo sunt homines actu in mundo degentes si cum innumerabili Sancto-

rum et Angelorum multitudine comparentur?

Quoad *excellentiam*. Quae sit ultimi etiam inter Sanctos, et ultimi inter Angelos gratia, pulchritudo, gloria, nec ulla lingua dicere, nec ullus intellectus capere potest. *Oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit* (1. Cor. 2, 9). Sancti enim, ubi caelum ingrediuntur, a Deo transformantur ac in infinito divinae gloriae oceano immerguntur. Si ita est de ultimo ipso Sanctorum, quid de ceteris, quid de Angelis, quid de gloriosa Dei Matre dicendum? De Sanctis adhuc peregrinantibus in terra et de futura eorum transformatione scripsit S. Joannes : *Nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est* (1. Cor. 13, 2).

His positis, quid sunt omnes homines in comparatione caelestis illius Curiae, cujus cives omnes immaculati, sanctitate fulgentes divinaque gloria circumdati stant ante thronum Dei? Quam pauci inter eos justorum nomen merentur in tanta hominum multitudine! Quanta corruptio magnam humani generis partem occupat! Quid igitur homines omnes, si cum paradisi incolis comparentur?

Secundum punctum. — Quid sum ego Deo comparatus?

1. *Inspicere quid sint omnia creata in comparatione Dei.* Non sine consilio repetit hic S. P. vocem *inspicere;* nam habetur hic profunditas infinita non obiter consideranda, sed ad imum usque et cum intimo sancti horroris sensu penetranda. Quid creata omnia, quid homines omnes, quid omnes Sancti, quid Angeli, quid ipsa gloriosa Dei Mater, nisi creata et consequenter finita? Deus autem est infinitus; atqui finita omnia inter et infinitum habetur totum infinitum; ergo creata omnia sunt quasi non essent. Si intime inspiciatur sensus vocis *infinitum,* ad id veniet, juxta S. Ignatium exercitans, ut magis ac magis *minuendo se,* agnoscat esse se non tantillum tantum et negligendum, sed omnino nihil. *Substantia mea nihil est ante te.* De se hoc sensu dixit ipse Deus : *Ego sum qui sum* (Exod. 3, 14); de creatis autem omnibus : sunt *quasi non sint* (Is. 40, 17).

2. Ex his quid concludit S. P.? *Jam ego solus quid esse possim?* Ego *solus* scilicet in comparatione omnium hominum, qui ipsi tam parum sunt in comparatione Sanctorum Angelorum et ipsius Beatae Matris Dei, quid

ego *solus* in comparatione tantae multitudinis, quae ipsa nihil est in comparatione Dei infiniti, quid, inquam, ego solus, non dicit S. P.: *sum,* sed *esse possum,* vel potius *possim* qua voce mirabiliter exprimitur quasi impossibilitas ut pro aliquo computer; nam veluti atomus infinite parva sum, ideoque non curanda, coram Infinito.

Pervenimus ad primam humilitatem, humilitatem nimirum veritatis; hic enim in nihili sui abyssum homo demersus est; in alteram eamque profundiorem multo et abjectissimam descendat oportet, scilicet in abyssum iniquitatum ac turpitudinum suarum, ut ab omni fuco superbiae liber *stet in veritate;* sic non tantum ut nihilum se parvi pendet, sed et abominatione et odio dignum agnoscet et sentiet.

Tertium punctum. — Quid ipse sum quoad corpus et animam? *Inspicere,* ait S. P., *omnem meam corruptionem et foeditatem corpoream, etc.*

I. *Quoad corpus.* 1. Physica corporis corruptio. Prima corporis origo, lutum : *de luto compegisti me :* dein *ex immundo conceptus sum semine;* post peccatum originale, vivit corpus vas ignominiae et immunditiae, sicut vivunt bestiarum corpora; vivit mortale et corrupti-

bile, exuviis bestiarum vestitum, donec morte perculsum corrumpatur, computrescat, vermibus scateat et in pulverem revertatur. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra... Putredini dixi : Pater meus es; mater mea, et soror mea, vermibus.* (Job. 14).

2. Moralis corporis corruptio et foeditas, quanto major coram Deo et in veritate! Ex quo commissum est originale peccatum, ex quo rebellavit anima contra Deum, rebellavit et corpus contra animam, eamque in vitiorum cloacam et in infernum detrahere contendit. Inde homini, si propriam dignitatem et aeternam salutem servare velit, incessabilis et durissimi belli contra incensam in corpore concupiscentiae fomitem necessitas. Quam foeda sit et quam taediosa lucta illa corporis ex seipso quisque nimis heu! bene sentit. Luctam illam Paulus ipse patiebatur, cum clamabat ad Deum : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. 7, 24).

II. *Quoad animam* quid sum? Quid sum quoad me totum? Respondet S. P. : *Inspicere me quasi ulcus quoddam et apostema, unde pullularunt tot peccata et tot nequitiae, ac venenum tam*

turpissimum. Vividam hic, et quam maxime naturali sensui repugnantem imaginem peccatoris oculis exhibet S. P.; quae quamvis realitati minime sufficiat, cum peccata sint in se et coram Deo multo horribiliora quam ulcera atque apostemata quaecumque, juvat tamen plurimum ad concipiendum per comparationem cum re sensibili insitum rei spirituali, quale est peccatum, horrorem. Ulcus utpote jam corruptum multo foedius est quam simplex in viva carne vulnus; apostema autem sanie plenum et sanie indesinenter manans optime oculis animam exhibet quae indesinenter peccata peccatis superaddit. Tandem venenum, cum non locale ut ulcus aut apostema sit, sed totum sanguinem corrumpat et aliorum etiam corpora inficere ac perdere possit, peccatorum naturam optime exprimit, quae et totam animam peccatoris letifero vulnere penetrat, ac vix non semper, per scandalum proximorum, animabus mortem affert et corruptionem. Nota quomodo S. P., ex eo quod per naturalia ulcera, ulcera peccati qualia sunt repraesentari non possint, verba accumulet : *tot peccata et tot nequitiae,* et superlativum exaggeret : *tam turpissimum*. Sic exprimit S. P. eum quem de suis peccatis

horrorem Manresae per divinam illustrationem sensit, non posse se verbis referre.

Quid autem per vividissimam illam peccati picturam Ignatius intendit? An ut certissimum horrorem et dolorem de peccatis provocet et sic ad remissionem peccatorum disponat? Utique; sed tanta non requiruntur ad attritionem cum Sacramento aut ad ipsam contritionem perfectam. Aliud igitur, illudque multo altius et excellentius intendit; nimirum, cum per magna Exercitia hominem ad omnimodam perfectionem velit evehere, profundissimum, quantum potest, fundamentum, humilitatem, constituit, ita ut non proprium nihilum tantum, sed et ipsa peccata solidis altisque substructionibus inserviant. Propria experientia didicerat nullum spirituale aedificium in altum facilius assurgere quam cum profundo et indelebili contemptui et acri odio sui propter peccata innititur. Hinc hucusque humilitatem, ut metam sibi positam prosecutus est, et inde ad finem usque Exercitiorum prosequetur. In hoc quippe ante omnia homo *se vincet*. Juvabit hic pauca ex divo Augustino excerpsisse : « Magnus esse vis? » a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam » construere celsitudinis? De fundamento

» prius cogita humilitatis. Et quantam quis-
» que vult, et disponit superimponere mo-
» lem aedificii, quanto majus erit aedificium,
» tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica
» quidem cum construitur, in superna con-
» surgit; qui autem fodit fundamentum ad
» ima deprimitur. Ergo et fabrica ante celsi-
» tudinem humiliatur, et fastigium post hu-
» miliationem erigitur. »

In praesenti exercitio intellexi quis sim ego qui Deum offendi; nimirum ex me nihil, et per peccata mea vilissima et monstro similis creatura. In sequenti autem considerandus Ille est quem toties mortaliter offendi.

In fine idem colloquium misericordiae, et *Pater noster*.

SECUNDUM EXERCITIUM

CONSIDERATIO ATTRIBUTORUM DEI CUM CONTRARIIS IN ME

Haec erit materia :

Considerare quis sit Deus contra quem peccavi, secundum ejus attributa, comparando illa cum

eorum contrariis (quae sunt) in me; ejus sapientiam cum mea ignorantia, ejus omnipotentiam cum mea debilitate; ejus justitiam cum mea iniquitate; et ejus bonitatem cum mea malitia.

Hactenus ad cognitionem Dei quem offendit disposuit se exercitans, tum per cognitionem sui nihili, tum per introspectionem turpitudinis peccatorum suorum; quo enim magis homo se deprimit, eo magis ad Deum erigitur. Sed non solum Deum ejusque attributa S. P. comtemplanda exhibet; obtento enim magnae jam humiliationis effectu, ut humiliationem magis ac magis adaugeat, sistit coram Deo peccatorem, comparationemque inter utrumque talem instituit, ut ingenti pudore suffusus peccator dolore conteratur et erumpat in lacrymas, intimo jam affectu et cum stupore vehementer moerens quod Deum infinitae Majestatis, tam omni ex parte sanctum et amabilem vilis ipse homuncio et omni vituperio ac supplicio dignus, tam insolenter, tam perfide, tam crudeliter tractaverit.

Postquam igitur consideravi *quis sim ego,* considerabo *quis sit Deus, contra* quem peccavi : *contra,* nam non agitur *contra,* nisi adversus inimicum, hostem, malevolum aut

odibilem : porro in omni peccato agitur contra Deum : si autem videret peccator quis sit Deus, nunquam aut auderet aut vellet eum offendere; *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent* (1. Cor. 2, 8).

Quis ergo est Deus, et quis ego coram eo? Oratio solita et eadem praeambula.

Primum punctum. — *Ejus sapientia et mea ignorantia.*

De divina Sapientia ait Spiritus Sanctus : *Est enim in illa spiritus intelligentiae, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus : intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia... Candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius... Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. 7, 22, sqq. 8, 1). Nihil igitur, sive in firmamento, sive in terra est, quod non disponatur ac regatur ab Eo qui creavit omnia; nulla in toto orbe atomus est, quae non prospiciatur a Deo, quae non cum ceteris omnibus etiam minimis per infinite diversas

leges ad unum finem a Deo disponatur ac dirigatur; et haec quidem actu uno fiunt simplicissimo, qui omnem laborem excludit. Jam vero infinita illa sapientia et me, sicut cetera omnia, legibus regit, quas meae naturae dignitatique ac felicitati necessarias liberae meae voluntati proponit ac imponit; nec suum, quo non indiget, emolumentum, sed meum in hoc intendit, utpote qui homines omnes non salvos tantum in aeternitate velit, sed in hac etiam vita, quantum fieri potest, beatos. Est enim *amans, humanus* et *benefaciens*.

Jam vero quid feci, peccando mortaliter? Sapientiam infinitam implicite negavi, et ei meam sapientiam praetuli, quasi aut minus quam ego sciret Deus quid meo vero bono conveniat, aut quasi scienter bonum meum non sincere vellet. Quaenam igitur mea sapientia est ut eam divinae sapientiae praetulerim? O insania! o abominabilis homuncionis stultaque superbia! Ratio hominis, quae in comparatione infinitae Dei intelligentiae atomus nullius ponderis est, divinae Sapientiae verba aut rejicit, aut ad tribunal liberi sui examinis revocat; legum Altissimi bonitati non assentit, nisi et ipsa judicio suo eas approbet. Ratio Dei necessario infallibilis est, ratio

autem hominis etiam inter ceteros doctissimi, tenuissima est et innumeris erroribus obnoxia. Quam detestabilis, quam odiosa mea superbia est ac deliramento plena, quae se ac minusculum lumen suum divino ac infinito lumini praetulit!

Secundum punctum. — *Dei omnipotentia et mea debilitas.* Quantus esset pueri tremor coram irato milite gladium in eum stringente! Quam alius tremor peccatoris futurus est, quando coram Deo omnipotente apparebit! *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Legimus in Apoc. : *Et audivi quasi vocem turbae magnae, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium : alleluia : quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.* Ibidem et de Jesu omnipotente olim mortuorum et vivorum judice : « *Vocabatur Fidelis, et cum justitia judicat et pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis* (Apoc. 1, 14). *Et vestitus erat veste aspersa sanguine... et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea : et ipse calcat torcular vini furoris irae Dei omnipotentis* (Apoc. 19, 15 et 16). De eo et in Psalmo : *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum* (Ps. 109, 7).

Impiis qui eum negant eique insultant talis apparebit in altera vita Deus. Nunc autem invisibilis est; cumque non videat eum peccator, libertate sua, quasi non existeret Deus, abutitur ut eum offendat; ast quantus erit ejus post mortem stupor, cum subito infinito Dei majestatis pondere oppressum se et divina potentia omni ex parte irresistibiliter constrictum sentiet?

En Ille *contra quem,* ut ait Ignatius, peccavi. Ast quis ego sum ut cum Deo contendere et congredi ausus fuerim? Quis ego, ut vel explicite vel implicite Deo dixerim *: Non serviam?* Quid ex me habeo nisi non esse? Quid vitae, quid intelligentiae, quid virium, quod non acceperim, quod singulis momentis non accipiam a Deo? Eo ipso momento quo *contra Deum* rebellabam et peccabam, nisi Deus continua creatione mihi dedisset vivere, morte prostratus, sepultus essem in inferno. Ego autem audacter ei resistebam, mandata ejus contemnebam, ei cum irrisione forsan insultabam, minas ejus nihili faciebam, aut ejus misericordiae illudens vertebam in facilitatem peccandi ejus bonitatem. O cor superbum et detestabile! Quidni Deus infinitus et omnipotens, me putidum vermem sibi insultan-

tem protrivit et cum tam multis qui minus peccavere in infernum projecit?

Si haec quibusvis mortaliter peccantibus applicanda sunt, quid de iis dicendum qui ex mero odio insultant Deo, Deum blasphemant ut blasphement, Christum crucifixum ostentui ex professo habent et omni afficiunt vituperio?

Tertium punctum. — *Justitia Dei, et mea iniquitas.* De justitia Dei hic agitur *relate ad me,* scilicet quatenus opponitur meis erga Eum iniquitatibus. Justissimae ejus sunt leges quas peccando transgressus sum, nec illas ex libidine mihi imposuit; sed vel ex amore mei, vel ex necessitate. Leges enim Dei omnes necessaria mea sive erga Creatorem meum, sive erga me, sive erga proximos officia enuntiant. Primae essentiales sunt, ideoque absolute necessariae; secundae necessariae etiam sunt, utpote quae meam essentiam et naturae meae dignitatem attingunt; tertiae tandem non ex sola societatis necessitate, sed maxime ex amore quo singulos homines prosequitur Deus, oriuntur.

At non sine labore ac certamine, praesertim post Adae lapsum, officia illa impleri possunt. Et huic difficultati non solum pro ne-

cessitate, sed magna cum liberalitate occurrit Deus. Et primo quidem curat divina Providentia ut ultra vires nemo tentetur; secundo, sua adjuvante gratia, nobiscum pugnat, ut vincamus. Crescente vero tentatione, crescit et gratia. Quae omnia verbo ipsius Dei confirmantur : *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Conditionem certe, ut gratiam concedat, adjecit, vigilantiam, orationem et cooperationem nostram. *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (Matt. 26, 41), et : *non coronatur nisi qui legitime certaverit* (2. Tim. 2, 5). His servatis, certissima victoria est. *Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum* (Ps. 90, 14)... *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, et glorificabo eum* (Ps. 90, 15). Unde ergo peccata mea? Occasionibus peccandi memet exposui, aspectibus, affectibus, periculosis colloquiis, theatris etc., nedum vigilarem et cum vero desiderio orarem. Porro, *qui amat periculum, in illo peribit* (Eccli. 3, 17); quod non de iis simpliciter qui versantur in periculo, dicitur, sed de iis qui *amant* periculum. Immo orationem neglexi; forte et ipsas matutinas et vespertinas

preces omisi; hinc inermem me et divino praesidio destitutum hostis invenit. *Petite et accipietis;* qui non petit, nec accipit.

Justus ergo fuit erga me et fidelissimus Deus; at quis ego fui erga Deum?

Deus creator meus est; consequenter jure essentiali, necessario, universali et inalienabili, *possessor* meus est, ego autem ita ejus sum res et possessio, ut libertatem ab eo accipere nullatenus potuerim, nisi ad ejus gloriam in omnibus omnino, tum internis, tum externis actibus procurandam : *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quodcumque facitis, omnia ad Dei gloriam facite* (1 Cor. 10, 31). Sicut qui arborem possidet, jus et ad omnes fructus ejus habet, ita, ut si quis sibi ea aliunde usurpet, fur haberi debeat; ita et jure creationis Deus jus habet ut sua omnia homo ad ejus gloriam convertat et dirigat; unde si hic e contra suam gloriam, jucunditatem, voluptatem, tanquam finem intendit, fur divinorum bonorum habendus et dicendus est : jam vero, si vitam meam serio inspexero, plenum me iniquitate inveniam : paucissima Deo concessi, idque forte non ejus gloriam intendens, sed ut non in aeternum damnarer; cetera vero, scilicet omnia mihi per sordidissimum mei

ipsius amorem et cum summa iniquitate reservavi; illi servo similis, qui venditis agrorum domini sui fructibus, maximam pretii partem subdole sibi attribueret. Ex hoc igitur capite, tota ferme vita mea iniquitas est. Ast nec sola, nec praecipua est haec mea erga Deum injustitia.

Deus enim, utpote Creator, non solum possessor est, sed et Dominus, dominus utique totius meae libertatis, ita ut nullam ejus sive in gravi, sive in levi materia, transgredi possim, quin iniquitatem adversus Dominum universorum committam, eumque offendam. Jam vero si vitam meam revolvero, dicere cogar cum Propheta : *iniquitates meae... multiplicatae sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me* (Ps. 39, 13); et : *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in* me sanitas (Job. 1, 16). *Dixi : confitebor adversum me injustitiam meam Domino* (Ps. 31, 5). *Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae : non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum* (Ps. 37, 4). *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis : rugiebam a gemitu cordis mei* (Ps. 37, 9). *Non intres in judicium cum servo tuo* (Ps. 143, 2). *Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam* (Ps. 50, 1).

Quartum punctum. — *Dei bonitas et mea malitia.* — *Dei bonitas.* Cum Deo, propter suam infinitatem, nullum omnino incrementum accedere essentialiter possit, uno amore mei in creatione mea motus est : me enim fecit, ut seipsum mihi, quantum fieri potest, communicaret : *In charitate perpetua dilexi te, et attraxi te* (ex nihilo ad me) *miserans* (JER. 41, 3). Cetera omnia fecit propter me. Me autem qualem fecit? *Ad imaginem et similitudinem suam,* ut scilicet in Eum, in ejus gloriam, in ejus beatitudinem in aeternum transformarer, imago in prototypum. Non Creator tantum, sed et pater meus et dici et esse voluit : *Pater noster, qui es in caelis.* Quid tenerius, quid amantius? Cum autem eum letaliter, exilis et malus, Deum infinitum offendissem ac vilipendissem, non propterea me abjecit atque amor ejus a me non recessit, sed pristino amori amorem majorem addidit. Misit in mundum Filium suum Unigenitum et infinite dilectum, ut assumpta in se carne mea, innocens peccata a me commissa in se assumeret et assumpta horrendo crucis supplicio ac totius sanguinis sui effusione deleret. Redemptum me Deus homo factus ita dilexit, ut amori suo facere se satis non existimaverit,

nisi et carne sua me aleret, et suo sanguine me potaret, ac quasi unus mecum fieret. *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Me autem in specie quot et quantis beneficiis affecit! Quoties et quanto cum amore innumera mea peccata condonavit, suo sanguine delevit! Et hoc Exercitiorum tempore, postquam eum tam multis, tam turpibus peccatis offendi, quanta, quam materna misericordia, me illuminat, fovet atque erigit! Vere *bonus es tu,* Deus meus; et *bonitatem fecisti cum servo tuo* (Ps. 118, 68) insolenti, ingrato rebelli, servans me toties ab inferno. Cum a te fugiebam et properabam ad damnationem, tuam quaerebas bonus pastor ovem fugientem ac perditam, inventam autem fovebas super cor tuum. *Quaerens me sedisti lassus, redemisti crucem passus; tantus labor non sit cassus.*

Mea malitia. Quid est quod debui ultra facere vinae meae et non feci? (Is. 5, 4) ait mihi Dominus. Nonne respondendum mihi est : Et ego Domine, quid potui facere contra te, et non feci? Amori tuo quem amorem rependi? Tu amasti me gratis, et ego te gratis odio habui : Tu beneficiis cumulasti me, ego millies te et forte letaliter offendi. Dona tua, creaturas nempe quas ex amore mihi dederas,

contra te converti. Dixit Jesus ut suum erga me amorem testaretur : « En cor, quod adeo » arsit amore in homines, ut nulli dolori non » occurrerit, atque vitam ipsam totius sangui- » nis effusione consumpserit in flammis divi- » nae charitatis ; » tanti fecit cor meum : *Praebe, fili cor tuum mihi* (Prov. 23, 26) ; et ego, opere saltem, respondi : Non tibi, sed vilissimis creaturis, sed luto ac sordibus, sed hosti tuo infensissimo, diabolo, totum me tradam ac devovebo ; abjeci te ex corde meo, ut daemoni impietatis, odii, rebellionis, luxuriae, locum facerem ; sciebam me, si mortaliter peccarem, crucifixurum te in corde meo, et ridendo, et jocando et lasciviendo, sicut Herodiadis filia, te crucifixi ; veniam mihi ex immensa misericordia indulsisti ; te iterum multoties crucifixi. Quae vita mea tota fuit nisi, modo levium, modo letalium contra te offensionum ac injuriarum perpetua contextura? Et ecce non obstante tanta mea vafritie, ingratitudine, insolentia, crudelitate, quaesivisti me, exspectasti me, consolatus es me, atque jam omnia oblivione deleturum te promittis, si veniam a te efflagitavero ! O quanta in summo Deo bonitas et quanta in me vilissimo vermiculo malitia !

In fine, iterum colloquium misericordiae, et *Pater noster*.

Tertium et Quartum exercitium, repetitiones utriusque praecedentis, cum quinto puncto secundi S. P. exercitii, et cum triplici colloquio.

Post repetitionem veniet exercitans ad praedictum et finale punctum, scilicet ad exclamationem quae dividetur in tria subdivisionis puncta : in primo, de Angelis agetur : in secundo, de Sanctis ; in tertio, de creaturis irrationalibus.

Exclamatio admirative, ait S. P., *cum ingenti affectu*. Haec exclamatio et admiratio non existet, nisi illa de propriis peccatis et de triplici peccato exercitia vim omnem suam, per impigrum laborem et per gratiam Spiritus Sancti fidelibus et laborantibus semper paratam, exeruerint. Qui non fuerit intima cognitione, horrore, odio peccatorum quasi venenoso et amarissimo potu, inebriatus, capax illorum altissimorum sensuum nullatenus erit, et inter ignatianos ardores frigidum se reperiet ; immo forte et quae in quinto puncto exponuntur exaggerationi proxima, quamvis sint verissima, existimabit : hinc iterum fidelitatis ac constantis magnanimitatis in omni-

no exercitiis peragendis necessitas perspicua apparet; omnia enim exercitiorum puncta ita disposita sunt, ut gradationem constituant, et tendere quoquomodo ad singulos gradus non sufficiat, sed calcandi omnino singuli sint, ut plena fieri possit ad suprema ascensio.

Hisce non dissonat nota, quam huic puncto R. A. P. Roothaan sapienter subtexuit. Sic enim ait : « *Cum ingenti affectu.* Eadem hoc » loco voce utitur S. P., qua in praeludio 2°, » ubi *magnum* vertimus, et notavimus signifi- » câre affectum qui *creverit, et crescendo ma-* » *gnus, ingens, vehemens,* factus sit. Intelligi » etiam potest metaphora desumpta ab aquis » *crescentibus et intumescentibus.* Et vero, qui » attente ac serio, quae in praecedentibus » punctis proposita sunt, in Dei conspectu » consideraverit ac meditatus fuerit, vix fieri » potest, quin affectum multiplicem, horroris » praesertim, confusionis, doloris *crescere,* et » fontes *lacrymarum,* saltem internarum, *intu-* » *mescere* in se non sentiat. »

In hoc igitur exercitio, considerabo, *discurrendo per omnes creaturas, quomodo me passae sint vivere et in vita conservaverint :* quae duo non sunt synonima; aliud enim est quod me siverint vivere, aliud et majus est, quod posi-

tive ad me conservandum concurrerint, ut infra videbitur. Et quidem

Primum punctum. — *Quomodo Angeli, cum sint gladius divinae justitiae, me supportaverint, et custodierint, et oraverint pro me.*

Quod Angeli gladius sint divinae justitiae, id ex sacris, tum veteris, tum novi Testamenti historiis et prophetiis eruitur. Quis una nocte primogenitos omnes Ægypti interfecit? Angelus. Quis centum et octoginta quinque mille viros exercitus Sennacherib morte percussit? Exterminator Angelus. Qui impium Heliodorum flagellis ceciderunt? Angeli. At nullo loco ut terribilis justitiae Dei ministri magis apparent Angeli, quam in libro Apocalypsis. Ibi enim indesinenter ut effusuri in fine temporum super gentes divini furoris phialas exhibentur.

Quomodo vero Angeli illi, cum sint gladius divinae justitiae et Deum ineffabiliter revereantur et ament, me, eo memento quo vilissimus vermiculus in Deum insurgebam ac iterum iterumque peccatis meis eum offendebam ac vilipendebam, non percusserunt, sed supportaverunt, immo et custodierunt, et pro me oraverunt, nisi quia Deus ex infinita sua erga me misericordia gladium illum qui in

manu sua est, cohibuit? *Misericordiae Domini quia non sumus consumpti* (THREN. 3, 22).

Sed in nullo mirabilior Deus quam in Angelo meo custode, quem satis indicat S. P. verbo *custodierunt*. Quod me Angelo suo custodiendum, cum essem adhuc innocens, dederit, id jam mirae dignationis et insignis amoris testimonium est; ast naturaliter inexplicabilis misericordia est, quod purissimum illum spiritum, me peccantem et rebellantem contra divinam Majestatem amanter custodire coegerit. Si Angelo magna humilitas est, hominem justum sibi natura et gratia inferiorem in omnibus viis suis custodire, quam triste, si contristari Angeli possent, quam abjectum ministerium, adstare die ac nocte peccatori, peccatoremque, in cujus corde, expulso Christo, sedet ac regnat diabolus, custodire amanterque fovere! Haec in Angelo, sublimissima obedientia est; in Deo vero, cujus peccator hostis est, ineffabilis misericordia.

Quibus oculis me Angelus meus respexit, vel cum sanctissimum Dei nomen blasphemarem, vel cum blasphemias in diariis publicis legerem, vel cum tristitia, dedecore, verberibus proximum afficerem, vel cum infamibus cogitationibus delectarer aut turpibus

sermonibus actibusque me contaminarem, vel cum Christi sanguinem in indigna confessione conculcarem, vel cum, osculum Judae imitatus, sacrilege pretiosum Jesu corpus et sanguinem ad pedes daemonis in corde peccatis subdito projicerem? Haec vidit, haec exhorruit; et nihilominus, jubente Dei misericordia, me inferno dignum supportavit, custodivit et pro me oravit.

Secundum punctum. — *Sancti, quomodo in eo fuerint, ut intercederent et orarent pro me. In eo fuerint,* summam haec vox ex mente S. P. N., indicat admirationem : explicari enim hoc in Sanctis ardentibus amore in Deum non potest, nisi iterum ex piissima misericordis Dei voluntate. Inter Sanctos vero praeit Mater misericordiae, peccatorum refugium, sine intermissione dilectum Filium pro peccatoribus interpellans. Eam non nominavit Ignatius; maluit enim ut exercitans ipse sponte et majori cum gustu eam pro se intercedentem inveniret. Quantum Mater dolorosa apud Filium suum fuisset sibi ad remissionem peccatorum suorum propitia, intime noverat Ignatius, vir ille, qui ab ipsa sua conversione ad mortem usque ejus imaginem pectori applicatam gestavit. At quomodo in eo esse potuit

Mater illa, Filii sui simul ac Domini amantissima, ut eo ipso tempore quo Filium suum dilectissimum in corde meo crucifigebam, apud eum pro me intercederet? Hoc edocta est, cum Jesum pro me pendentem in cruce audivit pro suis persecutoribus ac tortoribus orantem; ubi autem ei moribunda voce dixit: *ecce filius tuus,* oravit et ipsa pro Filii sui tortoribus. Hinc refugium, immo et mater peccatorum effecta est; hinc et tenerrimum illud novum nomen juxta crucem sibi promeruit *Matris misericordiae*. Hanc autem misericordiam unde hausit Regina Martyrum nisi ex Corde Jesu, abysso illa misericordiae infinita, cum *pro peccatis suae gentis vidit Jesum in tormentis et flagellis subditum?* Jesus igitur, plus quam omnes Sancti et ipsa Mater sua, mei peccatoris misertus est. Nisi enim voluntas Christi et ineffabilis Cordis ejus misericordia intervenissent, quomodo Mater illam pugnam inter amorem Filii crucifixi et amorem filii crucifigentis sustinere potuisset? Pugna autem verbo simplicissimo et divina unctione pleno a S. Ignatio exprimitur his vocibus: *quomodo in eo fuerit*. Similem profundi sensus locutionem in colloquio primi Exercitii adhibuit: *quomodo... eo devenerit, ut* etc.

Tertium punctum. — Creaturae irrationales. *Quomodo... et caeli, sol, luna, stellae, et elementa, fructus, aves, pisces, et animalia mihi serviverint, et non potius armata contra me insurrexerint.* Non ponit hic S. P. prosopopoeiam, quasi in magna sensus exultatione vitam et iracundam vindictam creaturis irrationalibus tribueret. In creaturis abditur praesens, creans et operans Deus, cujus nutu omnis irrationalis creatura movetur et agit. Sensus igitur est : Quomodo Deus, eo tempore quo eum offendebam et in eum insurgebam, mihi in creaturis omnibus, sive quae in firmamento sunt, sive quae in aere, sive quae in terris, sive quae in aquis, non ad necessitatem tantum, sed ad utilitatem, immo et ad jucunditatem meam servire potuit? Et, quod multo majus est, quomodo dona illa omnia, cum eis velut instrumentis et armis contra eum uterer, tam amice mihi conferre perrexit?

Immo, quomodo per suam omnipotentiam creaturas, quibus ad eum offendendum tam indigne abutebar, non ita contra me armavit, ut in me insurgerent meque perimerent? Quomodo fulgura, feras in me, sicut in alios peccatores, non immisit? Quare in me jam non fecit quod in fine temporum in omnes pecca-

tores faciet, cum *accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum... et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos? Ibunt directe emissiones fulgurum... et a petrosa ira plenae mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos : et ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, et malignitas evertet sedes potentium* (Sap. 5, 18). Nimirum *misericordiae Dei, quia non sum consumptus.*

Ex praecedentibus, inter magnitudinem et bonitatem Dei ex una parte, ex altera vero vilitatem, audaciam, malitiam et infamem peccatoris ingratitudinem, oritur et erumpit vehemens indignatio in exercitante, erumpit dolor, odium sui, et ita ascendit animae motus, ut non tantum agnoscat peccator, sed et profunde sentiat meruisse se aeternas inferni poenas : *et terra, quomodo non se aperuerit, ut me absorberet, creando novos infernos, ut in aeternum in illis cruciarer.* Neque haec ut exageratio interpretanda sunt. Multi enim qui multo pauciora quam ego commisere peccata justissime absorpti sunt et in aeternum damnati : majori ergo cum justitia eodem modo Deus

me damnasset, qui pejor illis extiti. Novi autem inferni mihi debebantur, nam pro unico Angelorum peccato creatus est infernus. Tot mihi debebantur inferni, quot mortalia peccata commisi. Quam vere, quam intime, Spiritu Sancto illuminante, de se ita sentiebat Ignatius! Hinc vera ac profundissima ejus humilitas; hinc et ejus ardentissimus in Deum amor. Amor autem ille non poterit ex corde exercitantis non erumpere; sic dolor perfectissimus de peccatis existet, et sponte *colloquium misericordiae* adducet.

Concludere colloquio misericordiae, ut supra; et *Pater noster.*

Non brevem hucusque viam confecit exercitans, ut ad metam a S. Ignatio intentam perveniat. Dolore perfecto sua omnia peccata delevit et ad poenitentiae Sacramentum sanctissime suscipiendum dispositus est. Sed et aliud emolumentum, illudque ad scopum Exercitiorum maximum, consecutus est; nimirum summae perfectionis, quam S. P. in magnis Exercitiis requirit, solidum profundumque fundamentum posuit, cognitionem sui et Dei, contemptum, vilipensionem et odium sui ex una parte, ex altera aestimationem et amorem Dei. Haec duo ita connexa

sunt ut alterum ex altero sequatur. Quare enim se odio peccator prosequitur, nisi quia Deum infinite perfectum et infinite bonum vilissimus ipse et malus offendit? in quo jam amor Dei continetur cum dispositione ad magnam in Deum liberalitatem.

QUINTUM EXERCITIUM

ERIT DE FINALI PECCATORUM DEDECORE, JUDICIO ET POENA APPLICATIO SENSUUM AD ULTIMUM JUDICIUM

Non sine consilio S. P. insinuat in sexta Additione de judicio esse meditandum; est enim in omnibus omnino completus. Completa autem non esset peccati materia, si de judicio non ageretur. De peccato Angelorum egit, dein de peccato Adae, tertio de peccato unius damnati, quarto de propriis peccatis exercitantis; restat ut de peccatis totius humani generis tractet, (quod in 1° Exerc. innuitur : *quanta corruptio genus humanum invaserit, tam multis hominibus ad infernum cuntibus)* debitamque eis condemnationem declaret, et sic ad aeternas inferni poenas veniat. In

ultimo judicio omnibus hominibus ex majestate et potestate Christi apparebit quis sit Deus, contra quem homo peccavit, et quantarum poenarum digna sint peccata. Sic via ad terrorem de inferno excitandum sternetur. Ut autem hoc exercitium menti S. P. respondeat, et colliment omnia ad detestationem peccati, peccatores tantum, vix autem justi in hoc exercitio considerandi proponuntur. Omnia enim de peccato sunt in hac hebdomada, et cogitatio de rebus jucundis, ut est paradisus, interdicitur.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, erit videre visu imaginationis, prope montem Oliveti, vallem Josaphat, in qua fiet universale judicium.

Secundum praeambulum, erit petere a Deo Domino nostro id quod volo, scilicet, intime abhorrere peccatum, illudque summopere reformidare. *Confige timore tuo carnes meas : a mandatis enim tuis timui* (Ps. 118, 120).

Primum punctum. — *Praedictiones et signa praemonentia ultimi judicii.*

Praedictiones. Quae de ultimo judicio annuntiavit Christus, eadem omnino mille ante annis praedixerant Prophetae.

Sic ait Isaïas xiij, 4 et sqq. : *Vox multitu-*

dinis in montibus, quasi populorum frequentium... Ululate, quia prope est dies Domini : quasi vastitas a Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet, et conteretur. Torsiones et dolores tenebunt; quasi parturiens, dolebunt : unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustae vultus eorum. Ecce dies Domini veniet, crudelis, et indignationis plenus, et irae furorisque, ad ponendam terram in solitudinem et peccatores ejus conterendos de ea... Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum, et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.

Daniel autem c. vij, sic ait : *Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit : vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda : thronus ejus flammae ignis : rotae ejus ignis accensus. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus : millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei : judicium sedit, et libri aperti sunt. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu* (gloria) *illud loquebatur : et vidi quoniam interfecta esset bestia, et periisset corpus ejus, et traditum esset ad comburendum igni. Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus caeli, quasi Filius hominis veniebat,*

et usque ad Antiquum dierum venit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient : potestas ejus, potestas aeterna, quae non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur.

Christus vero, eo tempore quo in manus peccatorum inciderat, coram Caïpha dixit : *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli* (Matth. 26, 64). Antea autem dixerat : *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis... Tunc parebit signum Filii hominis, tunc plangent omnes tribus terrae : et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et majestate. Et mittet angelos cum tuba, et voce magna : et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum.*

Signa praemonentia : Non veniet ante apparitionem Antichristi judicium : *Quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus... Et tunc revelabitur ille ini-*

quus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundum operationem satanae in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt (2. THES. II).

Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. Et terraemotus magni erunt per loca, et pestilentiae, et fames, terroresque de caelo, et signa magna erunt (LUC. 21, 10, 11).

Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur (MATT. 24, 29).

Et erunt signa in sole, et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum : arescentibus hominibus prae timore, et expectatione, quae superveniet universo orbi : nam virtutes caelorum movebuntur (LUC. 21, 25, sq.).

Caeli autem qui nunc sunt et terra... igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum... Adveniet autem dies Domini ut fur : in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et omnia quae in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis

conversationibus et pietatibus, expectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem caeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? (2 PETR. 3, 7, sqq.).

Secundum punctum. — *Resurrectio mortuorum et apparatus judicii.* Finis erit humani generis super terram, finis erit et peccatorum. Cum *statutum sit omnibus hominibus semel mori,* morientur omnes qui tunc erunt super terram, ut eant ad judicium : *post hoc autem judicium :* morientur justi; igne combusti morientur peccatores. Immensum illud et ultimum funus omnium totius orbis hominum exterritorum, et uno momento morientium comtemplare.

Dum ita orbem silentium mortis opprimet, ecce Angeli illi a Christo praedicti descendent de caelo cum tuba et voce magna : *Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de caelo : et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi* (1 THESS. 4, 16). Quid autem tuba illa et vox clamabunt? Surgite mortui et venite ad judicum.

Contemplare grande illud omnium humani generis mortuorum resurgentium spectaculum : alii resurgunt laetantes et gloriosi; alii cum horribilibus corporibus rabidi et desperantes.

Tunc fiet in aeternum separatio justorum et malorum; justi ad dexteram, mali ad sinistram. *Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum.* In partem malorum saevient tonitrua et fulgura.

Interea Crux Domini, quasi praecursor ejus, apparebit in caelo; tunc ex ore innumerabilium damnandorum ingens exsurget clamor et rugitus : *Ergo erravimus.* Montes, cadite super nos; colles operite nos. Et ecce Jesus millibus millium Angelis circumdatus e caelo descendet, cum majestate et potestate magna : *Videbunt* tunc peccatores *in quem transfixerunt. Et tunc parebit signum Filii hominis in caelo; et tunc plangent omnes tribus terrae; et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli, cum virtute multa, et majestate* (MATT. 24).

Tertium punctum. — *Judicium et damnatio.*

Contemplare sublime illud simul et terrificum spectaculum, quale non fuit aut erit unquam : Christum gloriosum in nube, prope eum divinam ejus Matrem, innumerabilem Angelorum multitudinem; ad dextram autem bonos, et malos ad sinistram.

Continuo Christus per divinam suam potentiam singulis omnium peccata patefacit, et revelat abscondita tenebrarum. *Et libri aperti*

sunt. Quae confessario sub altissimo secreto peccator ex superbia aperire noluit, ecce nunc cum infinito dedecore coram universo genere humano aperiuntur. Simul omnes tunc clamabunt : Montes cadite super nos; colles, operite nos. *Justus es, Domine et rectum judicium tuum*. Et desperantes ululabunt et blasphemabunt.

Conversus ad eos Jesus, coram omnibus Sanctis, inter fulgura, voce tonitruo simili proferet sententiam : *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum*. Et ecce illico cum horribili tumultu infinita illa damnatorum massa detrudetur in infernum; infernus claudetur, nec amplius aperietur in aeternum.

Colloquium misericordiae, et *Pater noster*. Juvabit prosam *Dies irae* interdiu meditari.

Sexta dies

DE INFERNO, AETERNA POENA MORTALIS PECCATI

Non parvi momenti est ut, antequam fiat haec meditatio, quaedam de terribili illo mysterio ponantur ob oculos principia, ne justitia Dei officiat quidquam ejus bonitati. Et primo, quidem de fide est, Deum velle et quidem sincerissime et omnino ex sua parte sufficienter (nam fallax voluntas ejus providentiam, veritatem et bonitatem summopere dedeceret), omnium hominum salutem : *Deus vult omnes homines salvos fieri* (1 Tim. 2, 4); quapropter doctrina haeresiarchae Calvini, Deo et Ecclesiae tam est execrabilis. Quomodo autem de facto hanc salutis voluntatem Deus exerceat, in hoc mysterium est in altera tantum vita cum ingenti divinae misericordiae admiratione, stupore et laude manifestandum. Velle istud scrutari mysterium ac rationes divinae misericordiae detegere, stulta esset in hac vita inquisitio et impossibilis. Hic cum Apostolo nobis exclamandum est : *O altitudo divitiarum* (scil. misericordiarum) *sapientiae et scientiae Dei* (scil. rationum quibus

divina Bonitas ac Providentia ad salutem invitat et adducit)! *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?* (Rom. 11, 33). Unde longe absit a nobis non tantum calviniana et jansenistica, utraque abhorrenda theoria, sed et tristissima et promissionibus Christi opposita, ac sapiens jansenismum P. Petit Didier opinio ad deterrendum male inventa, quae ipsorum sacerdotum,immo et religiosorum caetibus illa Jesu verba applicat : *multi enim sunt vocati, pauci vero electi* (Matt. 20, 16). Si res ita esset, Deus non creasset homines. Quomodo quis in hac deploranda hypothesi sententiam illam explicet : *Deus vult omnes homines salvos fieri?* Quis audeat asserere adeo exilem hunc fore et Incarnationis et totius divini Sanguinis effusionis fructum? Ergo fere incassum amore hominum Cor Jesu ita exarsit, ut nulli rei ac dolori pepercerit ac totum se consumpserit?

Certum igitur est, et haec vera Dei gloria est, Deum velle omnium salutem et pro omnibus mortuum esse Christum : *O altitudo divitiarum Dei!* Certum consequenter est Deum omnibus media suppeditare, quibus non dam-

nentur; quae media nos post mortem in admirationem rapient : *O altitudo sapientiae Dei!* Sed *quam* nobis *investigabiles viae ejus!* Ibi mysterium est viventibus inscrutabile, quod, bonitati, sapientiae ac misericordiae Dei innitentes, sicut cetera mysteria, cum humili rationis nostrae submissione credere debemus. Nemo nisi volens et sciens damnatur; sibi ipsi qui perit deest, nec cuicumque hominum etiam scelestissimo deest divina bonitas et misericordia. *Pax hominibus bonae voluntatis.* Nonne dicimus in symbolo : *Credo in remissionem peccatorum?* Si damnati omnes interrogarentur, nemo non responderet : *Mea* culpa damnatus sum. *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Perditio tua ex te, Israel.* In altera vita regnat justitia; in hac autem stat justitia, regnat vero misericordia. *Et misericordia ejus super omnia opera ejus.* Haec eo magis inculcanda sunt, quod plerique ad desperationem magis propendeant quam ad fiduciam. Jam vero quantum dejicit animos desperatio, tantum eos erigit fiducia.

Praecedentium exercitiorum scopus fuit pudor, confusio, dolor filialis de commissis peccatis, cum proposito non amplius peccandi de cetero; in iis quippe tota verae ac

perfectae contritionis ratio continetur. Multum abest ut S. P. meditationem de inferno posuerit ad propositum efformandum : propositum illud, et firmum quidem, existit : immo, si praecedentium exercitiorum fructum a S. Fundatore intentum collegit exercitans, ei repugnaret alio duci se incitamento quam odio peccati et amore Dei. Si igitur ponit hic S. P. meditationem de inferno, non respicit tempus praesens, in quo exercitans optimam habet voluntatem, sed futurum, in quo propter mobilitatem cordis et vehementiam tentationum, non amplius horrore peccati et amore Dei movebitur, ex alia autem parte ad infima violenter inclinabitur. Tunc enim *si oblitus fuero amoris Domini mei aeterni,* timor aeternorum suppliciorum supplebit amorem et absterrebit me a peccato. Procul dubio S. P. hic contra voluptatem sensuum agit : ceterae enim tentationes divini amoris sensum non ita obliterant. Hinc in fine non meditationem proprie dictam de inferno proponit, sed applicationem sensuum, ut sensui voluptatis sensum cruciatuum vividissime opponat. Consonant haec cum regula 17 Summ... de qua in eumdem sensum alibi mentionem habuimus.

PRIMUM EXERCITIUM

POENA SENSUS IN INFERNO

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, *erit videre visu imaginationis longitudinem, latitudinem et profunditatem inferni.*

Secundum praeambulum, *petere id quod volo (cupio); erit hic poscere intimum sensum poenae, quam patiuntur damnati, ut si (unquam) amoris Domini aeterni oblitus fuero ob meas culpas, saltem timor poenarum me juvet, ne in peccatum deveniam.*

Primum punctum. — *Cruciatus universales,* hoc sensu quod in inferno nihil habetur quod non sit cruciatus, et quod multa sint quae damnatos excrucient. In inferno bonum nullum est, et mala adsunt omnia, quia damnati sunt purissime maledicti : *Discedite a me, maledicti*; e contra in caelo malum nullum, bona omnia : *Venite benedicti.*

Locus ipse tristissimus et horrore plenus est; probabilissime in centro terrae; ibi tenebrae : *Mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium* (Matt. 22, 14). S. Basilius de judicio agens ait, quod virtute Dei

separabitur claritas ignis ab ejus virtute adustiva, ita quod claritas cedat in gaudium Beatorum, et ustivum ignis in tormentum damnatorum. Oculis quidem videbit damnatus; sed eo modo videbit, ut nihil perspicue videat, sed solummodo, sub quadam umbrositate videantur ea quae afflictionem cordi ingerere possunt. Ita S. Thom.

Praecipuum inferni tormentum ignis erit, isque corporeus, sed per divinam potentiam urens et animas. *Discedite in ignem aeternum.* Talem autem igni illi Deus naturam indidit, ut ali ac excitari non debeat, sed vividus semper sit et inextinguibilis. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (Jer. 15, 14). Ut sentias quis ignis ille sit, recole institutam ab ipso Christo divitis epulonis parabolam : *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (Luc. 16, 24).

Neque solus ibi erit ignis, sed *et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum;* immo et ab igne ad frigus intolerabile transibunt damnati, et a frigore ad ignem : *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium* (Job. 24, 19).

Praeterea, ut ait S. Basilius, in ultima mundi purgatione fiet separatio in elementis,

ut quidquid est purum et nobile remaneat superius ad gloriam Beatorum; quidquid vero est ignobile et faeculentum, in infernum projiciatur ad poenam damnatorum; ut sicut omnis creatura erit beatis materia gloriae, ita damnatis ex omnibus creaturis tormentum accrescat, secundum illud Sapientiae v, 21 : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

An voluptas unius horae, aut centum etiam annorum, qualiscumque ea sit, pretio tantorum suppliciorum emi meretur? Quid sunt Martyrum omnium tormenta, si cum unius horae habitatione in inferno comparentur? *Tanquam igitur a facie colubri fuge peccatum* (Eccli. 21, 2).

Secundum punctum. — *Poenae sensuum variae adaptatae,* quoad intensitatem, et quoad speciem.

Cum Deus sit justissimus, sapientissimus et omnipotens, poenae illae tam juste cum genere et numero peccatorum quadrabunt, ut cuicumque damnato dicere necesse sit : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.*

Quoad intensitatem : pro duplici peccato duplicabitur et poena; item et pro duplici gravitate peccati. Igitur si tanti sunt illius

qui propter unum peccatum mortale damnatur, cruciatus, quid patientur illi qui cum decem, cum centum, cum mille, cum continuis totius vitae peccatis morientur? Hoc novit diabolus, quando homini in peccatum pertracto suadet, ut iterum atque iterum, siquidem jam lapsus est, peccata committat.

Quoad speciem : Audi Auctorem Imit. Chri» sti (L. I, c. 24) : « Quid aliud ignis ille » devorabit, nisi peccata tua? Quanto am» plius tibi ipsi nunc parcis et carnem seque» ris, tanto durius postea lues, et majorem » materiam comburendi reservas. In quibus » homo magis peccavit, in illis gravius pu» nietur. Ibi acediosi ardentibus stimulis » perurgentur; et gulosi ingenti siti et fame » cruciabuntur. Ibi luxuriosi et voluptatum » amatores, ardenti pice et sulphure perfun» dentur; et sicut furiosi canes, prae dolore, » invidiosi ululabunt. Nullum erit vitium, » quod suum proprium cruciatum non habe» bit. Ibi superbi omni confusione replebun» tur : et avari miserrima egestate arctabun» tur. »

Ex historia Soc. nostrae novimus patrem quemdam ex Nostris fugitivum et propter suam superbiam et rebellionem factum apos-

tatam cuidam ex fratribus nostris oranti apparuisse flammis horribiliter circumdatum. Multos alios damnatos in simili statu apparuisse ex historiis compertum est.

Tertium punctum. — *Cruciatus continui, aeterni.*

1. *Continui :* Hanc sine ulla intermissione cruciationem sic exponit S. Joannes (Apoc. 20, 10) : *Cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.* Status ille damnati fixus est et immutabilis, sicut aeternitas. Si quis sanus corpore per annum sedere deberet immobilis, esset res post aliquot dies intolerabilis; quid de damnato dicendum, qui inter dirissimos cruciatus per totam aeternitatem jacebit immobilis? Ne ulla quidem erit in aeternum intermissio; nulla quies, somnus nullus, consolatio nulla; tristia omnia, omnia intolerabilia in saecula saeculorum. « Ibi, ait Thom. » Kemp. (loc. cit.), nulla requies est, nulla » consolatio damnatis : hic tamen interdum » cessatur a laboribus, atque amicorum frui- » tur solatiis. Esto modo sollicitus et dolens » pro peccatis tuis, ut in die judicii securus » sis cum beatis. »

2. *Aeterni.* Hoc transcendit omnia; hoc qui diutius ac profundius imaginatione scrutare-

tur, periculum esset ne immensitate rei obrueretur. Solus Deus aeternus absolute est, quia nec initium habet, nec finem, sicut nec praeteritum nec futurum nec durationem; nimirum ipse *est : Ego sum qui sum*. Damnati autem aeternitas initium habuit, finem autem non habebit. O terribilis, o excrucians damnati immobilis aeternitas! Solus Deus, quia infinitus est aeternitatem comprehendit; nemo vero est qui mensurare eam valeat; mensurantur enim ea tantum quae initium habent et finem. Quantumvis progrediatur damnatus in sua aeternitate, nullam viam conficit; non enim ibi est processus, ubi non est finis.

Suppone Deum, cui omnia possibilia sunt, ex omnibus astris quae in caelis moventur, unum globum aeneum conflare; ex hoc autem immenso supra modum globo unam tantum atomum singulis centies millesimis saeculis decidere. Ubi jam sufficiens innumerorum saeculorum multitudo effluxerit, ut globus ille evanescat, quam suae aeternitatis partem confecerit damnatus? Nullam : tota et integra manebit aeternitas, quia non erit finis.

O terrificum mysterium! O insania peccatoris! O horrenda desperatio!

Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis (Eccli, 7, 40).

Colloquium

Colloquium in fine meditationis de inferno positum ac tam ample a S. P. explicatum, est valde notandum. De solis animabus damnatis agitur, eaeque omnes in tres partes divisae meditanti proponuntur. Hujus cum Christo colloquii scopus est multiplex; scil. 1. quidem terrificam damnatorum omnis conditionis, nationis et aevi multitudinem oculis exhibere; quo conspectu nullus imaginari potest terribilior et tristior; 2. horrorem de me ipso qui toties merui cum istis animabus annumerari, excitare, cum magna erga Deum gratitudine, qui me innumeris damnatis culpabiliorem vivum servavit, ut veram poenitentiam facerem; 3. augere, ex spectaculo tantae Dei erga me misericordiae, amoris et fiduciae sensus, crescentemque in me filialem de peccatis meis dolorem elicere; 4. respondere ad quaestionem : Quinam damnantur? Scil. ii qui vel non credunt, vel juxta fidem non operantur.

Faciendo unum colloquium ad Christum Domi-

num nostrum, trahere in memoriam animas quae sunt in inferno : aliae, eo quod adventum ejus non crediderunt, aliae quod credentes non operatae sunt juxta ejus mandata : Haeresim Lutheri tunc grassantem, etsi eam non nominat, attingit hic S. P., asserendo damnari non minus eos qui bona opera non faciunt, quam qui non credunt.

1. *Qui non crediderunt adventum ejus;* scilicet qui, notis de futuro adventu Christi prophetiis, non obstantibus divinis argumentis quibus prophetiae fulciebantur, credere noluerunt; deinde qui post Incarnationem, non obstantibus evidentissimis miraculis ac praesertim Resurrectionis et Ascensionis, Christum ut Deum ac Salvatorem admittere noluerunt. Jesus enim ipse dixit, et quidem sine additione ulla : *Qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc. 16, 16). Sicut magnam ille Deo dat gloriam qui principem suam facultatem, rationem ita ei consecrat, ut mysterium, quod non intelligit, ex sola verbi Dei reverentia credat, ac sic quod caput et corona suae humanae dignitatis est, rationem ad pedes Dei deponat; ita e contra, qui eo usque superbiae ac insolentiae procedit homuncio, ut pluris suam quam divinam sapientiam

faciat, nolitque revelanti divinae Majestati assentiri, quasi Deus aut errare aut decipere posset, summam Deo infinito irrogat injuriam, aeterno dignam supplicio.

Aliae quod credentes non operatae sunt juxta ejus mandata. Paucis his verbis, pro suo genio, viam hic aperit S. P. ad solvendam quaestionem, quinam inter credentes damnentur. Quaestio haec theologice solvi posset. Ait enim Apostolus ad Corinthios : *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare : Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (I. Cor. 6, 9); sed quantum movetur exercitans, cum stans coram Christo ad os inferni, damnatos ipsos vitiis istis inquinatos, et terribiles eorum poenas in ignibus sustinentes contemplatur, reflectens in seipsum eadem se peccata commisisse et easdem multoties poenas promeruisse!

Faciendo, ait S. P., *tres partes (id est omnes illas animas destribuendo in tres ordines sive series : (quarum) prima anteadven tum (Domini) pericrit; secunda vivente eo; tertia, post ejus vitam in hoc mundo.*

Quam vivida, quam percellens imago illa Christi Domini exercitanti apparentis, infernum ei aperientis ac damnatos omnes per diversas series ostendentis! quam apta ad amorem Christi et fiduciam excitandam! Quare enim ei infernum aperit Jesus, nisi ut ostendat quanto cum amore ei pepercerit, quam serio ipsi condonare velit, tormenta ei ostendens ut a peccato absterritus ab aeterno supplicio arceatur? *Misericordiae Dei, quia non sumus consumpti* (THREN.).

Quare dividit S. P. in tres classes? primo, quia classium illarum omnino diversa fuit conditio et culpabilitas; dein ut distinctius et in specie damnati discernantur; tandem ut exercitans Dei in se bonitatem agnoscat; nam si cum quacumque ex duabus prioribus classibus vixisset, vel certo, vel probaliter jam esset in inferno. Si enim cum prima, certo certius ethnicus fuisset infidelium vitiis contaminatus; si in secunda, vel ethnicus, vel infidelis judaeus; in tertia in qua nunc est, si, ad exemplum eorum qui cum eo vixerunt ac damnati sunt, vitiis indulgens similiter morte in statu peccati raptus fuisset, esset et ipse in inferno. Cui debet quod non damnatus sit, nisi Christo Jesu, qui tanto eum amore

in his Exercitiis prosequitur? Hinc maximae et ex toto corde gratiarum actiones, atque amor Jesu. Sic illa etiam quae maxime sunt terribilia, S. P. ad fiduciam et amorem convertit; hic verus spiritus Dei est, cujus nomen *charitas* est et *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis* (2. Cor. 1, 3). *Consolamini, consolamini, populo meus, dicit Dominus Deus vester. Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam : quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius* (Is. 40, 1).

Plurimum juvabit in hoc colloquio, non in globo tantum damnatorum classes considerare, sed quosdam in specie : Judam maxime, item pontifices qui auctores deicidii fuere, perfidos judaeos, malos in Nova Lege sacerdotes, religiosos, qui vocatione relicta periere, impios, religionis hostes, fures, impudicos, eos quos forte exercitans turpiloquiis, scandalis, seductione, praecipites egit in infernum : videat et amicos et notos, forte et sibi propinquos.

Item, quomodo usque adhuc semper me tanta pietate et misericordia prosecutus sit. Nota illud *semper;* nota et duo illa paterno amore plena et suavitatem spirantia : *tanta pietate et misericordia,* cum forte semper ego me scelestum et

ingratum exhiberem : quam admirabiles et amabiles tenerrimi illi sensus sunt immediate post terrores inferni positi! Vere sugitur hic lac et mel de petra, fugitque prodigus filius a tremore inferni in ulnas et in cor patris sui Jesu. Quis unquam credidisset ex inferni contemplatione tam teneri amoris sensus posse prodire? O admirabilis scientia Sanctorum, qui Deum et seipsos tam bene norunt : *Domine, noverim te, noverim me!*

Finem imponam recitando semel *Pater noster.*

SECUNDUM EXERCITIUM

POENA DAMNI

Solita oratio praeparatoria, et eadem, quae in praecedenti exercitio, praeambula.

Primum punctum. — *Poena damni in intellectu.* Sensuum tormenta quae sibi per sua peccata damnatus promeruit terribilia sunt; sed multo magis propter amissum infinitum bonum in aeternum cruciabitur : Coelum enim amisit et Deum.

Discedite a me, maledicti. Considera, quantum licet in hac vita, quid sit discedere a Deo

in aeternum. Homo creatus est ut salvet animam suam, scilicet ut facie ad faciem Deum, bonum nempe infinitum prout in essentia sua est, infinite pulchrum, infinite gloriosum, infinite bonum et amabilem in aeternum contempletur, eum possideat, eoque cum ineffabili fruatur felicitate. Haec visio beatifica talis est, ut una sit ex tribus quibus excellentiora, etsi omnipotens, facere Deus non possit, neque in hac vita ullis verbis exprimi valeat : *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus diligentibus se.* Videntes Deum non satiabuntur solum inexhausta beatudine, sed *inebriabuntur ab ubertate domus ejus, et potabuntur torrente voluptatis ejus.*

Discedere igitur a Deo quid est, nisi carere in aeternum omni omnino bono; nam alterius vitae bonum solus est Deus; extra quem nulla sunt bona, et in quo bona omnia sunt : hoc est esse maledictum : *Recedite, maledicti.*

Discedere a Deo quid est, nisi etiam a consortio caelitum et bonorum omnium excidere, a consortio gloriosissimae et amantissimae Dei Matris, Angelorum et Sanctorum omnium, quo consortio nil suavius ac jucundius;

et in aeternum inter sceleratos daemones ac reprobos connumerari?

Neque ut contingens damnato felicitas illa erit amittenda, sed ut necessaria, ut debita, ut promissa, ut expectata. Ad eam enim obtinendam homo a Deo creatus est et sublimatus, adeo ut sit ipsi quasi supernaturaliter post mortem essentialis; hinc ubi consequendi finis tempus adest, ad eam beatitudinem, extra quam nulla alia est, sitit, anhelat, et, respectu objecti, quasi infinita vi et irresistibili contendit et exilit, continuo autem et in aeternum per divinam justitiam et omnipotentiam repulsus. *Discede a me, maledicte.* Infernales sensuum poenae horrendae sunt, finitae tamen; ast poena damni ex infinitate amissi Dei quamdam contrabit infinitatem : hoc solus damnatus intelligit. Si Deus pro merito meo me in peccatis percussisset, intelligerem et ego atque in aeternum sentirem. *Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti.*

Secundum punctum. — *Poena damni in voluntate.*

Cum voluntas peccatum imperaverit et commiserit, horribiliter in inferno cruciabitur.

Naturale voluntatis objectum semper et essentialiter appetitum est omne bonum : inde

amor, inde omnis delectatio; jam vero damnati voluntas nunquam per totam aeternitatem ferri poterit nisi in omne malum, et consequenter in omne odium et furorem.

De Deo quidem cogitat et sine intermissione in aeternum cogitabit damnatus, ast non de Deo secundum se, quod esset delectabile, sed de Deo puniente et prohibente : hinc incredibile odium et consequenter incredibilis tristitia.

Cum autem voluntas in malo fixa sit, peccatumque in se et amet et velit, Deum, quatenus poenae auctor est, odio prosequitur poenae respondente, id est, ineffabili; poenitet eum, et quidem crudeliter, peccasse se, non propter peccatum, sed propter damnationem : hinc horrenda sine ullo bono aut solatio tristitia, tristitiae impii Antiochi similis; hinc *fletus et stridor dentium* qui tristitiam aggravant, nedum eam allevent; hinc vermis ille, perpetuus scilicet remorsus conscientiae, qui animam saeve corrodit ac nova vulnera vulneribus addit.

Haec autem omnia sine ulla ex omni parte compassione aut solatio; odio omnes et omnia habet damnatus, et omnibus, sive in caelo, sive in inferno viventibus odio habetur et execrationi. *Discedite, maledicti.*

Tertium punctum. — *Desperata rabies.* Qui doloribus torquetur, sperat et implorat propinquorum et medicorum opem; si morbus desperatus sit, expectat mortem; qui vinculis constrictus detinetur in carcere, sperat solutionem; ast damnatus in infernali specu constrictus, divinae et irrevocabilis justitiae Dei pondere oppressus, atque ab omnibus aeternae oblivioni datus, et a nullo unquam liberandus, in horribilem desperationem agitur, in qua immobiliter est in aeternum permansurus. Ululanti prae dolore, clamanti ac desperanti una sola vox respondet : In aeternum, In aeternum. Hinc in seipsum totius mali auctorem se convertit atque cum furente odio, rabie actus se discerpit, in aeternum se discerpturus. Maledicit sibi, maledicit peccatis, maledicit libidinum suarum sociis, maledicit parentibus, maledicit diei nativitatis suae, maledicit damnatis, maledicit sanctis, maledicit Deo et blasphemat! *Melius esset, si natus non fuisset homo ille!*

Idem in fine colloquium misericordiae, et *Pater noster.*

Tertium exercitium, erit repetitio utriusque praedentis, cum triplici colloquio.

QUARTUM EXERCITIUM

VIAE AD PECCATUM MORTALE ET AD INFERNUM

In ultimo hujus hebdomadae exercitio, scilicet in applicatione sensuum ad infernum, non intendit, ut jam diximus, S. Fundator, ut de peccatis suis doleat exercitans et firmum propositum habeat non peccandi de cetero : hisce enim abunde et perfecte in exercitiis de peccatis est provisum; sed hic futura praevidet, S. P., et ita exercitantem armat, ut quaecumque futurae sint in ejus dispositione mutationes, non tamen incidat in peccatum mortale, praecipue autem in peccata carnis quae hic maxime intenduntur, et ad quae corrupta natura majori cum periculo propendet.

Jam vero aut servabit exercitans quas actu nunc habet dispositiones, et tunc amor ad deterrendum eum a peccato sufficiet; vel dispositiones sensim sine sensu decrescent et in eo frigescet amor Dei. In hac altera hypothesi, amore deficiente, necesse erit ut poenae saltem timor ad perseverantiam remaneat; ut autem sensuum delectationi resistatur, opponit illi S. P. sensum contrarium, scilicet poenarum aeternarum, cumque quam vivi-

dissimum, ut imaginatio ipsa, malarum delectationum fons, vehementer percellatur et a peccato refugiat.

Duo itaque in hac applicatione prosequitur Ignatius : scilicet 1° caveat exercitans, ne ob suas culpas, nimirum per peccata venialia et teporem decidat ab amore Dei sui aeterni, et sic armis suis praecipuis ad vincendas sensuum delectationes destituatur : de hac re agit in secundo praeambulo; ita in contemplatione de Resurrectione meditationis materiam in primo praeambulo distribuet : 2° si elapso sacro secessu, labente tempore, ab illo Dei amore per teporem excidat, fortissimum ei stimulum, scilicet sensibiles ac terribiles inferni poenas, subministrat S. P., ut timore saltem ac tremore seipsum deterreat. Hinc apparet nihil S. Ignatium omisisse, sive ut perfecte a peccatis se convertat exercitans, sive ut in obtenta gratia fideliter perseveret.

Primo igitur de amittendo per peccata venialia et per teporem amore Dei, in quarto exercitio agemus; quintum autem erit applicatio sensuum.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, erit videre visu imaginationis apertum infernum, et multas ibi-

dem animas, etiam sacerdotum et religiosorum, qui olim amore Dei ferventes, per peccata venialia inciderunt in teporem, et ex tepore in peccata mortalia atque in aeternam damnationem.

Secundum praeambulum, erit petere id quod volo; scilicet intime sentire ac reformidare periculum venialium peccatorum et teporis, ut magno et constanti animo ea omnia adhibeam quae fervoris spiritum et in minimis etiam fidelitatem conservent.

Primum punctum. — *Peccata venialia mutuum Dei et hominis amorem imminuunt.*

Non est hic quaestio de essentia charitatis quae per solum peccatum mortale tollitur et praesens supponitur, sed de illa dilectione, quam proprie amicitiam dicunt, quaeque corda intimius jungit. Jam vero quis verum amicum eum vocet, qui non mortaliter quidem et usque ad rumpendam penitus amicitiam, sed revera, et deliberate et facile alterum offendit? Et quomodo inter se amare et offendere, amari et offendi naturaliter possunt conciliari?

Qualem autem se erga Deum exhibet qui deliberate et facile eum venialiter offendit? Insolentem nimirum et malitiosum. Peccatum

enim, quantumvis veniale dici possit ac debeat, ubi deliberatum est et volitum, vera et expressa Dei offensio est. Leve quidem vocatur, at non in se, sed respectu tantum peccati mortalis. Tanta enim in mortali peccato gravitas est, ut ejus respectu veniale leve quodammodo videatur : in se autem leve nullatenus est. Si enim divina et infinita Dei Majestas ac Bonitas considerentur, quis levem existimet injuriam, quam supremo ac summo Domino Deo suo vilissima creatura irrogat? An praeterea verae amicitiae vinculis cum Deo conjuncta anima illa dici potest, quae post tot naturae et gratiae beneficia, sanguine Christi redempta et saginata, notam turpis et ingrati animi erga Deum sciens et volens incurrit? *Idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.*

Hinc aiebat R. P. Roothaan : « Esse pec-
» cata venialia, quae Dei amicitiam non tol-
» lunt, credo equidem, quia ita infallibilis
» docet Ecclesia; sed istud mysterium fateor
» me non intelligere : veniale enim peccatum
» et ipsum est contra infinitam Majestatem
» facinus. »

Hinc quomodo Deo amicus ille censeri potest, qui practice dicit : Mortale peccatum

committere nollem, quia in aeternum damnari nolo; de venialibus autem, quamvis Deum offendunt, non sum adeo sollicitus. Poenam quippe talis timet, offensam vero non curat. Qui vere diligit, non ponderat peccata, sed simpliciter inquirit an peccata sint.

Hinc etiam mysterium, illudque obscurius, quod scilicet possit quis veniali peccato addictus de mortali offensa ex amore dolere, cum de minori offensa non doleat.

Ex his patet quantum veniale peccatum in homine amorem Dei imminuat : pari autem proportione et amorem Dei in hominem imminuit. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (Marc. 4, 24).

S. Augustinus peccatorum venialium labem scabiem vocat, quae animae pulchritudinem tollit, et a caelestibus divini Sponsi removet amplexibus. Et re quidem vera, sicut morbi corporei corpora inficiunt ac dehonestant, ita peccatum veniale, morbus animarum, animas quidem non occidit, sed inficit et ita turpiter dehonestat, ut nullus corporum morbus ei valeat comparari. Non enim corpus corruptibile deturpat, sed vivam Dei imaginem animae impressam ignobiliter commaculat. Quam foedus ergo in oculis Dei ego sum,

qui tot peccata venialia commisi et committo!

Neque fastidio tantum Deo est qui facile in venialibus delinquit, sed et odium, quo in tales offensas flagrat, saepius Deus in hac vita per gravissimas poenas ostendit, et ulterius in purgatorio atrocius ostendet. Testis est uxor Loth, quae propter levem curiositatem in statuam salis mutata est; testes Bethsamitae, qui ob Arcam paulo liberius aspectam, gravi plaga percussi sunt; testis soror Moysis, quae propter murmurationem erga fratrem suum ac superiorem lepra afflicta est et ejecta extra castra; testis rex David, propter cujus vanitatem septuaginta virorum millia peste sublati sunt; testis Osa, qui arcam, ut eam sustineret, indebite tetigit et morte prostratus est; testis Moyses ipse, qui propter levem fiduciae defectum ad promissam terram non pervenit; testes duo filii Aaron eique carissimi, qui propter violatam caerimoniam, igne altaris consumpti sunt; testes Ananias et Saphira, qui ob mendacium, inanimes ad pedes Apostoli corruerunt; testes denique innumerae animae ceteroqui justae ac dilectae, quae propter venialia peccata, aut spirituales consolationes et jugi Christi suavitatem non

amplius sentiunt, aut internis desolationibus, obnubilationibus, ariditate, scrupulis, aliisque externis malis miserrime affliguntur.

Secundum punctum. — *Imminutus per venialia peccata amor Dei, in fine per peccatum mortale extinguitur. Qui spernit modica paulatim decidet* (Eccli. 19, 1.)

De illo hic agitur, qui deliberate ac facile venialia peccata committit; tali enim praefatum et infallibile Spiritus Sancti oraculum est applicandum. De peccatis venialibus, ubi saepius iterantur, dicunt quandoque : Palea levis est; sed ita in navi congeri palea potest, ut navis demergatur in mare. « Ruina mul» titudinis, ait S. Aug., aeque timenda est ac » ruina magnitudinis. »

Quomodo autem paulatim in mortalia decidat qui spernit modica, egregie probat Doctor Angelicus : Directe hoc fit, et indirecte.

1. *Directe, a)* per modum morbi. Sicut morbi ducunt ad mortem corporis, ita peccata venialia ad mortem animae. Quemadmodum per morbos corpus debilitatur et fatiscit, ineptum fit ad laborem atque ad pugnam, nauseatque super ea quae ipsi ante erant jucundissima, sicque paulatim emoritur; ita et per venialia peccata in via spiritus fatigatur ani-

ma, vires ad colendas virtutes et ad vincendas tentationes magis ac magis amittit; in taedium fit ei oratio, res spirituales atque omnis communicatio cum Deo in amaritudinem vertuntur; inde ex una parte, in vita interna spiritualis pigritia; ex altera vero, pro aspiratione ad caelestia crescens magis ac magis ad terrestria et infima attractio ac propensio. Oriatur tunc, forte ex improviso, vehemens tentationum procella, et patebit ruina.

b) Per modum consequentiae. Fit enim quasi naturalis progressus a venialibus ad mortale. Qua via iri coeptum est, in ea, quasi naturaliter producetur iter. Assuefit homo per peccata venialia conculcandis limitibus quos ratio ipsi imponit; ad ultimum limitem ubi pervenerit, et illum transiliet; horror offensae Dei in corde ejus magis ac magis per repetitas offensiones minuitur, atque in fine omnino evanescit; dilatataque in dies ejus conscientia suscipit in fine peccatum mortale. Hujus rei bene gnarus hostis infernalis per minores offensas incipit, curans ut in dies multiplicentur atque ingravescant, donec ad optatum finem, ad perditionem, perveniat. Haec maxime locum habent in sensualis amoris delectationibus. Ab amore spirituali transitus fit

ad naturalem, a naturali ad sensualem, a sensuali ad carnalem, a carnali ad impudicum.

2. *Indirecte.* Tollunt peccata venialia tria illa quae a peccato praeservant, scilicet; timorem Dei, habitum virtutum et gratiarum auxilia.

a) Timorem Dei in dies magis ac magis amittit qui deliberate, qui frequenter, venialia committit, ita ut in fine quod audebat in parvis, jam audeat in magnis. Ubi evanuerit reverentia, evanescet et obedientia.

b) Cum peccata sint e diametro virtutibus opposita, habitibus virtutum succedit ineluctabiliter habitus vitiorum; et quo plus peccatur, eo magis boni illi habitus minuuntur, ita ut in fine subtiles admodum ac fere nulli fiant. Sic chordae machinarum sensim sine sensu ita usu teruntur, ut subito, magna quandoque cum ruina, scindantur. « Cuncta, ait S. Gregorius, » fiunt cum consuetudine subtiliora. » Habitus virtutum quasi scintillae ex igne charitatis exiliunt et emicant; si aquae gutta in ignem injicitur, pergit ignis; at si continuo guttae illae in eum descendant, ignem tandem extinguent. Ubi fructus in puncto aliquo vitiatur, brevi fructus totus corrumpitur. Haec

inimicus humanae naturae minime ignorat, et quod magno ictu demoliri non potest aedificium, illud magna cum patientia per multos menses et annos parvis indesinenter sed iteratis ictibus prosternit.

c) Gratiae auxilia et numero et potentia per peccata venialia propter infidelitatem in dies decrescunt, ita ut fiant sufficientes quidem gratiae, sed de facto, in periculosis praesertim tentationibus, ob infidelitatis habitum, non efficaces. Gratiae illae hiberno soli comparari possunt, qui lucet quidem et calefacit, sed germinare non facit. — Castitas in specie per fugam peccati venialis et per minimarum rerum observantiam maxime servatur.

Tertium punctum. — Peccatorum venialium *foeditas* in se, etiamsi non essent prohibita. Morbus malum est physicum bestiis et hominibus commune, utpote quod in viventium atque sentientium cadit corpora; animarum autem morbus est veniale peccatum. Mortem quidem moralem illis non affert per se; sed sicut morbus physicus vigorem ac pulchritudinem adimit corporibus, ita peccati venialis morbus vires animarum frangit, animas inhonestat, inficit, corrumpit ac deturpat. Quantum corpori, quod nobis cum bestiis est com-

mune, anima supereminet, quae Dei spiraculi opus est et vivens imago ipsius, tantum peccatum veniale mala omnia corporum malitia et foeditate excedit. In quo enim naturale peccati venialis malum consistit? In eo nimirum quod qui ita delinquit, contra rationem, qua homo homo est, e diametro agat, et consequenter suam ipsam nobilem essentiam inficiat, corrumpat ac malam efficiat. Hinc anima peccatis venialibus infecta pustulescente vultu turpior est. Hinc Augustinus, ut diximus, peccatorum venialium labem scabiem vocat, quae animae pulchritudinem tollit et a caelestibus divini Sponsi removet amplexibus. Sitienti in cruce Jesu aquam quidem non denegat venialium incurius, nam in ejus substantiali charitate permanet, sed sordidam ei offert atque lutosam.

Scrutetur hic exercitans singulas, ut in secundo de peccatis propriis exercitio, peccatorum venialium species, et nullum inveniet quod ex sese foedum non sit atque inhonestum. Quanta igitur mea turpitudo est, qui tot peccatis venialibus quotidie inquinor! Vere *a planta pedis usque ad verticem capitis non est in me sanitas.*

In fine colloquium, et *Pater noster.*

QUINTUM EXERCITIUM

APPLICATIO SENSUUM AD INFERNUM

Meditatio, ait S. P., *de inferno. Continet in se post orationem praeparatoriam, et duo praeambula, quinque puncta et unum colloquium.* Indicatur in hoc titulo methodus in omnibus sensuum applicationibus tenenda. Et in hoc genere meditationis, juxta ordinem constanter a S. P. descriptum et in ordinario gradu orationis servandum, applicandae sunt animae facultates : Memoria, intellectus et voluntas, cum hoc tantum discrimine, quod imaginatio et sensus locum hic praecipuum occupent.

Oratio praeparatoria sit solita.

Primum praeambulum, compositio, quae hic est, videre visu imaginationis longitudinem, latitudinem et profunditatem inferni.

Esse infernum, dogma fidei est; ubi autem situs sit infernus, fides non declarat; communis autem opinio est infernum, sicut ipsa vox sonat, infra pedes nostros haberi, in centro videlicet orbis terrarum, sicut paradisus in empyrio super caelos et astra. Christus *descendit* ad inferos, et post resurrectionem *ascendit* in caelum.

Si circulus orbis nostri mensuram habet novem leucarum millia, facile concludes quam horrendae sint longitudo, latitudo et profunditas inferni. Quam terribile erit in fine mundi spectaculum, videre non interiora tantum orbis sed et totam ipsam superficiem terrae flammis ardere! Solas dimensiones inferni ponit in hoc praeambulo S. P., quia imaginationis visui in quinque punctis ea quae sunt in hoc tormentorum loco offerentur.

Secundum praeambulum, petere id quod volo; erit hic, poscere intimum sensum poenae, quam patiuntur damnati, ut si (unquam) amoris Domini aeterni oblitus fuero ob meas culpas, saltem timor poenarum me juvet ne in peccatum deveniam.

Notemus iterum quam constanter ubique repetat S. P. : *id quod volo;* qui enim vult, scilicet, qui vere et cum ardenti desiderio vult, primo quidem exaudietur a Deo, cujus in auribus vehemens desiderium clamor est; secundo vero, omnes suas vires ipsemet exeret, ut quod vult consequatur.

Intimum sensum poenae quam patiuntur damnati. Quid per vocem intimam intelligat Ignatius, jam ante dictum est : nimirum ut sensus ille talis sit, qualem S. P. N. intendit, requiritur, non solum ut ad ipsam animae

medullam penetret, sed ut etiam a Spiritus Sancti illuminatione et gratia vim supernaturalem mutuetur. Ideo in oratione petitur.

Ut si unquam amoris Domini aeterni oblitus fuero ob meas culpas. Apparet hic illa S. Ignatii spiritualitas, quae in reg. 17 Summarii tam egregie exponitur. Tunc enim intentio perfecta est, cum in omnibus sincere spectamus ut serviamus et placeamus Divinae Bonitati propter seipsam, et propter charitatem et eximia beneficia quibus praevenit nos, potius quam ob timorem poenarum vel spem praemiorum (quamvis hinc etiam juvari debeamus). Perfectionem illam optat et suadet, non tamen in condamnationem eorum incidit, qui poenarum timorem et spem praemiorum vituperant et repudiant. Ultimis igitur his adminiculis, cum amor aut non adest, aut propter tepiditatem telo sine ictu similis factus est, nos juvare debemus. Unde autem vim suam amor amittit? Ex *culpis : ob meas culpas,* scilicet ob facilem peccatorum venialium admissionem; culpae autem illae opponuntur peccato mortali, de quo in fine phraseos agitur, utpote quod hoc solum damnationem aeternam promereatur. Hinc apparet teporis periculum, qui amorem Dei ita debilitat, ut ad coer-

cendum a peccato mortali non amplius sufficiat.

Primum punctum. — *Erit, videre visu imaginationis ingentes illos ignes, et animas velut in corporibus igneis.*

Hic dilatandum est primum praeambulum; nam pauca admodum S. P. proponit; reliqua, ut major sensus fiat, sinit meditantem invenire. Consideranda igitur immensa illa caverna est omni ex parte clausa, et tenebricosa sub luce maligna. Quod tenebrae ibi sint patet ex verbis Christi : *Ejicite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium* (MATT. 22, 12).

Quid videbit ibi damnatus? Infinitam horribilium reproborum multitudinem se invicem cum rabie discerpentium; videbit et terrentium ac torquentium daemonum spectra sine numero. Omnia ibi foeda et horrenda : ibi nil praeter odium et furorem.

De solo igne meminit S. P., utpote qui personam ipsam damnati attingat : ast quam terribile spectaculum oculis objicit : *ingentes illos ignes et animas, velut in corporibus igneis!*

Ignem esse in inferno dubitare non licet, cum Christus id expresse affirmaverit : *Discedite a me in ignem aeternum* (MATT. 25, 41).

Hoc et in parabola Epulonis disertissime docuit. Dixerat ante Isaïas : *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis* (Is. 33, 14)? Joannes autem scribit : *Si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua, aut manu sua : et hic bibet de vino irae Dei, quod mistum est mero in calice irae ipsius et cruciabitur igne, et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum et in conspectu Agni : et fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum; nec habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus* (Apoc. 14, 9, sqq.).

Cujus autem naturae ignis ille sit, revelatio non docet : non equidem eumdem illum esse ac nostrum, patet primum ex eo quod non corpora solum, sed et spiritus diabolicos et spirituales damnatorum animas comburit; dein tenebrosus est : *ejicite eum in tenebras exteriores. In aeternum non videbit lumen.* — Est inextinguibilis : *fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum* (Is. 14, 21). Ejus tandem vis et intensitas numero et gravitati scelerum respondebit.

Et animas, post ultimum judicium, *velut in corporibus igneis :* verba haec ab insigni Sancto, qui, cum Exercitia scriberet, tam admirabili

Spiritus Sancti lumine illustrabatur, posita sunt. O terrifica imago!

Dum oculi mei talia cernunt, considerabo in igneo illo picis stagno ac sulphuris innumeros reprobos, qui oculorum intemperantia damnationem aeternam hauserunt : alii, spretis Ecclesiae monitis ac prohibitionibus, impia aut obscoena scripta legentes, vel fidem, vel castitatem amiserunt; alii in theatris corrupti sunt; alii incentiva libidinis oculis contemplantes in luxuriam prolapsi sunt, sententiae illius immemores : *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* (Job. 31, 1) : Periculum quaesierunt isti, nedum a periculosis oculos averterent, et misere lapsi sunt. *Qui amat periculum, in illo peribit.*

Secundum punctum erit, *audire auribus imaginationis planctus, ululatus, clamores et blasphemias contra Christum Dominum nostrum et contra omnes Sanctos ejus.*

Audire per longam noctem alicujus aegroti gemitus et clamores, fit tandem intolerabile supplicium; quid autem dolores hujus mundi, si cum damnatorum doloribus comparentur? Quale igitur tormentum erit audire, non per unam noctem aut hebdomadam, sed die ac nocte, sine ulla requie, per totam aeterni-

tatem, non unum damnatum, sed infinitum damnatorum numerum simul ejulantium? Quam saevi eorum planctus super crudelissimam sortem suam! Quam terribiles in summo dolore ululatus ac rugitus! Quanta desperatio, cum in singulos singuli odio ardeant atque iis maledicant! Quanti clamores! *Crucior in hac flamma!* Sed nil atrocius quam blasphemiae in Christum Dominum, qui eos judicavit, et contra Sanctos omnes quos in vita mortali spreverunt ac persecuti sunt, et quorum nunc cum rabie gloriae ac felicitati invident.

En quo ducunt impudica colloquia, impiorum confabulationes, detractiones, blasphemiae, et concentus illi qui animas emolliunt et ad luxuriam provocant.

Tertium punctum erit, *olfacere odoratu imaginationis fumum, sulphur, sentinam et res putridas.*

Quantum esset malefactoris supplicium, si in angusto carcere nulla ex parte aeri suscipiendo idoneo ac nunquam expurgando, in suis ac ergastuli sordibus per integrum annum permaneret! Quantum foetorem aspiraret! Ast quid foetor ille, si cum foetore inferni componatur? Enumerat S. P. *fumum,* qui, cum in

clausis omni ex parte infernis nullus sit exitus, totus in antro illo horribili remanet. *Et fumus ejus ascendit in saecula saeculorum* (Apoc. 19, 3). — *Sulphur : Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure* (Apoc. 19. 20). — *Sentinam :* in profundum enim laci confluunt foetidissimae immunditiae, neque hoc tantum : adest et proprius, factus tunc sensibilis, peccatorum foetor; aderit et corporum damnatorum pestilentia; corpora enim illa erunt putridissima atque cadaveribus per plures menses insepultis graveolentiora. *De cadaveribus eorum ascendet foetor* (Is. 34, 3). — *Res putridas;* quae verba omne odoratus supplicium complent ac perficiunt.

Eo vitae mollities conducit, eo conducunt exquisita corporis commoda, unguenta pretiosa, liquidi odores, vestium ac lecti suavitates, ceteraque omnia quae omnem animae duritiem frangunt, corda molliunt, impares tentationum pugnis efficiunt, et ad libidinem praeparant.

Quartum punctum erit, *gustare gustu imaginationis res amaras, ut lacrymas, tristitiam et vermem conscientiae.* Quam amarae, quam urentes igneae illae *lacrymae,* quae sine ulla intermissione per totam aeternitatem ex tam atro-

cibus tormentis erumpent! Quam profunda, quam atra tristitia, quam destituta omni quacumque spe aut solatio! O si daretur quandoque una hora somni et oblivionis! Ast hora illa in aeternum nunquam veniet : *Cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum*. O abyssus tristitiae infinita! Tristitiam parient non sola tormentorum vis ac perennitas, sed et poena damni, quae multo adhuc magis damnatum cruciabit. Dolores, quanticumque existant, finiti sunt; ast amisisse Deum, amisisse est bonum infinitum. Quanta sit Sanctorum gloria, felicitas, laetitia, damnatus intelliget ad suum supplicium. Factus et ipse erat ad fruendum Deo; fruitio illa ipsi adhucdum necessaria et essentialis est; ideoque exilit, exilietque in aeternum quasi cum infinita vi ad infinitum bonum, ob quod est creatus, semperque repelletur : *Discede a me, maledicte*. Utique maledictus a Deo, maledictus a B.Virgine, maledictus ab Angelis, maledictus a Sanctis omnibus, maledictus ab avis suis, a patre, a matre, a fratribus, a filiis, a filiabus, a propinquis omnibus qui caelestibus gaudiis perfruuntur : *Discede a me, maledicte*. Sic odio erit omnibus et in caelis et in inferis; odio erit et ipse sibi, atque in aeternum sibi ipsi

maledicet : *Perditio tua ex te.* Maledicet maxime iis a quibus per scandalum fuit in peccatum adductus; in eos insiliet et eos cum furore ac rabie dilaniabit.

Vermis igitur *conscientiae* unum erit ex praecipuis damnati suppliciis; vermem illum, in hac vita, dissipatione, festis, spectaculis, confabulationibus, laboribus, interdum sopiebat; ast in inferno, ubi solis doloribus locus est, vermis vigil semper et rabidus animam damnati crudelibus semper morsibus dilacerat. Qua enim alia de re cogitare miser ille potest, nisi de peccatis, quae tam horribilia in aeternum duratura supplicia ipsi promeruerunt? O momentum voluptatis, et aeternitas inferni! Quam facile mihi fuisset devitare occasiones, invocare Deum in tentationibus, fugere malos socios, delere peccata per confessionem! Et nolui! O si confessarii consilia essem secutus! Felicitatem in peccando quaesivi, et quo magis peccavi, eo fui miserior. *Lassati sumus in via iniquitatis* (Sag. 5, 7). Et ecce infelicitatem cum aeternis cruciatibus commutavi! — Hinc horrenda ac perpetua desperatio, cui vox terribilis atque in auribus indesinenter resonans respondebit : Æternitas! Æternitas!

Eo conducunt cohors illa festorum, conviviorum, saltationum, concentuum et ceterarum illecebrarum, quam tanto cum ardore mundus amat et sequitur. *Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium* (Ps. 4, 3)? — Juvabit hic historiam divitis epulonis memorari, qui postquam vestibus purpureis est usus, ac quotidie epulatus est, sepultus fuit in inferno, in quo clamat et in aeternum clamabit : *crucior in hac flamma!*

Quintum punctum erit, *tangere tactu, imaginationis scilicet, quomodo ignes illi tangunt et urunt animas.*

De corporibus hic non loquitur S. P., vel quia satis ipsimet vim quam habet ignis in corpora facile capimus, vel quia necdum ea ignis actu comburit, et praesentia tantum tormenta vult proponere, ut sequens colloquium adducat.

Solitarius quidam, ut acriores libidinis faces extingueret, super ardentes prunas pedes tenuit, donec victa tentatio ab eo recederet. Quanto majus supplicium, non ad horam, sed in aeternum in igneum profundissimumque stagnum corpore et anima immergi! Si stagnum illud ei qui jamjam peccaturus est,

cum districto gladio quo in ipso actu peccati esset trucidandus subito appareret, an peccare auderet? Multis aliis in ipso peccati momento mors supervenit; unde scio me non pariter periturum? *Qua hora non putatis Filius hominis veniet* (Luc. 12, 40). *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis* (Eccli. 7, 40).

Idem in fine colloquium ac in primo hujus *diei exercitio,* et *Pater noster.*

Conclusio

Exercitiorum primae hebdomadae dum finem attingimus, retrospicere juvat, et confectum jam iter considerare. Posita in Fundamento recta linea quae ad praestitutum homini finem ducat, hujus hebdomadae scopus erat tollere non peccata tantum, sed et peccatorum fontes, omnes scilicet affectiones inordinatas, eas saltem quae ad peccatum inclinant; ut sic anima ad quaerendam et inveniendam divinam circa se voluntatem disponeretur. Quis non videat eo per tria Exercitia, tum de peccatis, tum de inferno pertingere debuisse exercitantem? Quis non sentiat tria illa non sufficere tantum, sed et

omnia complecti, si rite intelligantur, quae ad optatum finem possunt conducere? Nihil ibi non reperies, quod ad peccata et ad radices peccatorum detestanda non conducat, sive timoris, sive ardentissimi amoris quaeras incitamenta.

Igitur per sinceram et perfectam animae puritatem, ad caeleste lumen, more cristalli lucidissimi, recipiendum praeparatus est exercitans; neque aliquid amplius obstat, quominus, divinae erga se misericordiae amore vulneratus atque devictus, Christo aures praebeat, Christum amet, Christum sequatur atque in admirabili ejus lumine generose ambulet. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* nec videbunt solum, sed et amabunt, et dilatato corde mandatorum ejus et consiliorum viam decurrent.

Notam hic adjicit S. P., quae et numerum faciendorum in singulis hebdomadibus exercitiorum determinat, et certas iis vel diei vel noctis horas assignat. Atque hic, pro sua prudentia ad finem sanctificationis melius obtinendum, et numerum et horas exercitiorum, attenta aetate, complexione, dispositione subjecti, disponenda instructori committit.

Primum exercitium fiet media nocte; secundum,

statim ac (quis) mane surrexerit; tertium, ante vel post Missam; quartum, hora Vesperarum; quintum, una hora ante coenam. Hanc horarum repetitionem (scilicet quotidie tenendam) *plus minusve semper intelligo (servandam) in omnibus quatuor hebdomadis, in quantum aetas, dispositio et complexio juvat eum qui exercetur, faciendo quinque exercitia vel pauciora.*

Additiones

ad melius facienda Exercitia, et ad melius inveniendum id quod desiderat (qui exercetur).

Additiones hoc nomine vocantur, non quia adduntur ut appendix Exercitiis primae hebdomadae, sed quia adduntur Annotationibus quae in capite libri describuntur, et cum quibusdam mutationibus suis in locis indicandis, toto tempore Exercitiorum observandae sunt. In Annotationibus generalis directio docetur; in Additionibus autem novem primis, adminicula suggeruntur, quibus exercitiorum fructus certior sit et amplior; in decima autem de poenitentia, et maxime de externa agitur. Ideo ait S. P. : *ad melius facienda Exercitia,* remque ipsemet magis elucidat dicens : *et ad melius inveniendum id quod desiderat.*

Pleraque eorum quae in Additionibus praescribuntur minima in se videri possunt, sed ex ipso jam hoc capite non mediocris momenti sunt; si quidem et sincerae humilitatis et magnae fidelitatis testimonium perhibent : porro Deus *humilibus dat gratiam. Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Praeterea adminicula illa,

quae tanto cum fructu ipsemet S. P. N. a Spiritu Sancto edoctus adhibuerat, mirae sunt ad recollectionem animi conservandam efficaciae. Imino, juxta eorum sententiam qui callent Exercitia, dici potest a fideli Additionum observatione maxima ex parte Exercitiorum successum pendere.

Prima additio *est, post cubitum, quando jamjam dormire volo, per spatium unius Ave Maria, cogitare de hora qua surgere debeo et ad quid, resumendo exercitium quod mihi faciendum est.*

De praeparatione remota ad orationem S. P. egit in Annot. 5ª, in qua ab exercitante magnanimitatem et liberalitatem exigit, quae magnum desiderium supponunt et sinceram voluntatem nil omittendi eorum quae ad successum orationis faciant. In 20ª autem, ut distractionum causae tollantur et plena sit animi collectio, solitudinem et separationem a negotiis summopere commendavit. In hac prima additione de praeparatione propinquiori praemonet. Posita jam praeparatione meditationis vel de nocte vel summo mane faciendae, praescribit *ut post cubitum, quando jamjam dormire volo, per spatium unius Ave Maria,* duo praestem : primo, ad certiorandum hora debita surgendi tempus, *cogitem de*

hora qua surgere (ex ordine statuto, non pro lubitu) *debeo,* et pariter *ad quid,* scilicet ad praescriptum exercitium faciendum; inde secundo vult me mente *resumere* illius exercitii materiam. Sicut enim illud quod ante decubitum memoriae mandavimus melius animo tenetur, ita, si eo tempore resumpserimus exercitium, illud certius retinebimus, et facilius quando e strato surgemus, menti recurret. Petenda igitur a Deo et ab Angelo custode gratia, et mihi omnino statuendum, ut hora praescripta statim surgam : quantum haec fidelitas ad fructum meditationis conferat, nemo non novit.

Secunda additio est, *cum expergiscar, non dando locum his vel illis cogitationibus, statim advertere animum ad id quod sum contemplaturus in primo exercitio mediae noctis.* Quanti sit meriti apud Deum haec additio, patebit, si consideremus ex una parte quam difficile sit homini nondum plene sui compoti a divagationibus circa ea quae naturae vel placent vel e contra displicent, mentem cohibere; *ne his vel illis,* ut apprime dicit S. P., *cogitationibus det locum;* ex altera vero quam apte ad meditationem se disponat qui, jam a primo mane de meditatione vivide occupatur. Neque tunc,

sicut post cubitum, per breve tantum temporis spatium cogitare de faciendo exercitio debet exercitans, sed indesinenter usque ad ipsum exercitium : *et inter has cogitationes, vel alias, juxta subjectam materiam* (nam hoc fieri oportebit in omnibus hebdomadis) *vestibus me induere.*

Quales cogitationes, et quos sensus fovere debeat, dum induit vestes, exercitans, sic exponit pro prima hebdomada S. P. : *trahendo me ad confusionem de tam multis meis peccatis, proponendo mihi exempla;* unum unice semper intendere videtur Ignatius, nimirum, *confusionem de tam multis meis peccatis :* ex hac enim profunda et voluntaria humiliatione, quae solum fundamentum est et contritionis, et veniae, et totius perfectionis, prodeunt virtutes omnes, et maxime divina charitas. Intime noverat *omnia bona venire pariter cum illa;* et sine illa, nihil. *Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam* (Jac. 4, 6). Jesuita qui hoc non novit, nec eam confusionem habet, ne primum quidem gressum posuit ad propriam Instituto nostro perfectionem, quae in undecima reg. Summ. velut in germine tota continetur. Jam vero nunquam is ad amorem opprobriorum Christi accedet, nisi radicata

prius fuerit, et quidem altissime, in anima ejus intima peccatorum suorum cognitio et verus inde sui contemptus. Hoc deficiente, super arenam omnis fiet aedificatio. Non ergo immerito S. Ignatius omnia in duobus exemplis propositis ex consulto aggerit, quae ad proprium contemptum facere possunt : *pudore affectus et confusus* ex eo scilicet quod *graviter* offenderit eum a quo *multa dona et multos favores* acceperat : in secundo vero exemplo : *magnum peccatorem et catenis vinctum, — ligatus — quomodo rei carceribus detenti et catenis vincti compareant coram suo judice temporali;* ego autem *coram summo Judice aeterno*. Sic in praxim adducit S. P. quod in sexta additione dicet : scilicet extra meditationes, *trahere potius in memoriam mortem et judicium*. De ipso dolore pauca dicit; sciebat enim ex pudore non venturum tantum, sed erupturum dolorem.

Hic inseri debet, non pro meditationibus mediae noctis et matutina, sed pro iis quae per diem fiunt, praeparatio illa proxima, de qua in quinta nota pro secunda hebdomada, quaeque sic sonat : *statim ut recordabor adesse horam exercitii, quod facere debeo, antequam vadam ad illud, ob oculos mihi ponam, quo vadam*

et coram quo. Idem repetitur in nota pro tertia hebdomada.

Ad quid et coram quo? scil. ad rem gravissimam et omnium sublimissimam, ad orationem, quae elevatio animae est ad Deum, et cum Deo infinitae Majestatis consortium et colloquium. Quis ego sum, nihilum et vilissimus peccator ut tantus honor tantaque dignatio mihi adveniant? Hic sensus, propriae scilicet vilitatis et immensae Dei magnitudinis ac sanctitatis, tanti momenti est, ut ab eo profectus orationis dependeat quam maxime.

Tertia additio, *uno vel duobus passibus ante locum, in quo contemplaturus sum vel meditaturus, stabo spatio unius Pater noster, elevata sursum mente, considerans quomodo Deus Dominus noster me respiciat, et (debeo) facere actum reverentiae, seu humiliationis :*

Ad quid haec, nisi iterum ut anima sui nihili ac suae miseriae conscia et divinae praesentiae infinito pondere quasi oppressa se humiliet, ac contremiscat? Quis enim non tremat coram Deo appariturus, cum ipsae caelestes potestates ante faciem Dei contremiscant : *Tremunt potestates?* vident quidem Angeli Deum, nec mirum est quod, etsi amore ardeant, tamen contremiscant; nos au-

tem, cum fide Deum intueamur, necesse est ut huic visioni per ea quae hic proponit S. P., suppleamus. Antequam igitur accedat exercitans ad Dei consortium, *elevet sursum mentem*. Oratio enim est a terrenis omnibus atque ab universo mundo elevatio mentis sursum ad Deum, ut dein fiat consortium cum Deo. Quam aptum est ad humiliationis et reverentiae sensum excitandum, considerare quomodo infinitae majestatis *Deus* ac universorum *Dominus* me tantillum cum benevolentia et amore, non tantum videat, ut cetera omnia, sed cum intentione *respiciat!* De S. Franc. Borgia legitur quod non unius solum *Pater* spatio, sed per horam integram praevio huic exercitio nonnunquam vacaret, antequam ipsam meditationem aggrederetur. *Actus reverentiae,* seu (nam hoc semper inculcat S. P.) *humiliationis,* fit v. g. inclinando caput aut corpus, vel osculando terram.

Quarta additio erit *intrare in contemplationem, modo genuflexus, modo prostratus in terram, modo supinus, modo sedens, modo stans, intendendo semper ad quaerendum id quod volo.* Non dicit : *modo ambulans;* hic enim situs qui pro quadrante reflexionis post meditationem concedetur, non conceditur pro ipsa meditatione,

quia reverentia, humiliatio et integra mentis coram Deo applicatio decentiorem et quietiorem corporis situm requirunt. Notemus S. Patrem, etsi situs liberam nobis electionem relinquit, regulam tamen in hac electione facienda imponere, scilicet non commoditati corporis servire, sed eum situm, etsi displicentem, tenere, quo certius ac melius ad id quod quaerimus, majus nempe Dei servitium, et majorem dolorem de peccatis, etc., obtineamus. Ex hoc principio aliqua forte a praedictis sitibus exceptio admitti posset; nimirum si quis ita esset somno obnoxius, ut in omnibus sitibus concessis necessario obdormiret, posset is lente ambulare : secus enim nullo modo inveniret quod quaerit; ambulando autem cum magna reverentia aliquid saltem inveniet. De duobus malis minus est eligendum. Duo in hac additione subjiciuntur quae non levis sunt momenti : *primum est, quod si invenio id quod volo genuflexus, non pergam ultra (alium situm tentando); et si prostratus, similiter;* non enim raro fit ut ex tali non rationabili mutatione, tentante diabolo, desinat meditatio bene procedere. *Secundum, (quod) in puncto in quo invenero id quod volo, ibi quiescam, sine anxietate progrediendi ulterius*

(ad aliud punctum), donec mihi satisfaciam. Puncta enim non sunt nisi media ad finem; si igitur in primo puncto optatum finem consequor, non est cur ad secundum festinem; secus enim forte fiet ut aliquid de collecto jam fructu deperdatur. Cfr finem 2^ae^ annotationis.

Quinta additio nullo indiget commentario.

Sexta additio, *nolle cogitare de rebus jucundis ac laetis, ut de gloria (Paradisi), resurrectione etc.; quia ad sentiendum poenam, dolorem, et (ad) lacrymas de peccatis nostris impedit quaevis consideratio gaudii et laetitiae; sed tenere ante me (in hoc insistere) velle me dolore et sentire poenam, trahendo (revocando) potius in memoriam Mortem et Judicium.*

Ne quis hic agi de recollectione animi existimet aut de expellendis profanis cogitationibus ac vanis divagationibus; de hac enim re in vigesima annotatione tractatum est. De solis bonis in se ac spiritualibus cogitationibus hic quaestio est, ut pro opportunitate, respectu scilicet hebdomadae in qua versatur exercitans, aliae admittantur, aliae rejiciantur. Optimum enim in se est meditari de vita Christi gloriosa, de caeli gaudiis, de vita Jesu ejusque mysteriis; sed haec ei qui in prima hebdomada versatur, cujus scopus est dolorem

sciere de peccatis, non tantum non juvarent, sed distractiva essent ac fini proposito prorsus opposita. *Omnia tempus habent,* et *pluribus intentus minor est ad singula sensus,* idque multo magis si sensus sint inter se pugnantes, ut sunt dolor et laetitia.

Merito dici potest in hac additione maximam vim Exercitiorum S. P. N. consistere. Quantumvis enim meditationes et optime selectae sint et optime dispositae, ac cum crescente semper effectu ordinatae, vim tamen suam totam non exerent, nec profunda animae vestigia imprimunt, si mens ad diversas, licet valde spirituales, cogitationes divertat, nec uni rei, etiam libero tempore, tota incumbat. Neque S. Ignatius tantus esset in revocanda atque singulis hebdomadis modificanda hac additione, nisi in ea observanda caelitus ac propria experientia edoctus summum momentum esse didicisset. Noverat insuper quam difficile, quam arduum, et consequenter quam meritorium homini sit ita frenum ac directionem suis cogitationibus ponere.

Ex eo quod in materiis secundae hebdomadae, scilicet in Mysteriis vitae Christi Domini, mens tota versetur, ne quis concludat vetare S. Ignatium ne cogitatio de propriis

peccatis et filialis eorum dolor mente et corde iterum suscipiantur. Etenim primo, non raro accidit ut dolor ille ex consideratione bonitatis et amabilitatis Jesu plurimum crescat et multo perfectior ob majorem charitatem evadat; secundo, cum secundae hebdomadae finis sit amor et imitatio Christi, perfecta de peccatis contritio amorem Jesu provocat, et ad humilitatem propriumque contemptum disponit; jam vero praecipua imitationis Christi pars in humilitate posita est. Toto igitur Exercitiorum tempore, immo per totam vitam, juvabit plurimum dolorem, pudorem, confusionem de peccatis excitare, suscipere et fovere. Sic enim ad mortem usque, etiam in suis ecstasibus, constanter egit S. P. N.

Septima additio ad recollectionem, ad compunctionem atque ad tristitiam de peccatis tendit et ideo primae hebdomadae maxime convenit. Sic sonat : *privare me omni (lucis) claritate ad eumdem effectum, claudendo fenestras et januas tempore quo fuero in cubiculo, nisi foret ad recitandum (officium divinum vel preces), ad legendum et cibum sumendum.*

Octava, *non ridere, nec dicere quidquam quod risum provocet.* E diametro enim risus tristitiae de peccatis opponitur.

Nona, prae ceteris omnibus, ostendit quanti fecerit S. P. et quantam exigat ab exercitante plenam atque perfectam animi recollectionem ac integram sextae additionis observationem : *Nona, refrenare oculos (ne quem respiciam) nisi in excipiendo, vel dimittendo eo cum quo locutus fuero (vel loquendum mihi fuerit). Excipiendo, dimittendo :* Ergo tempore ipso, quo durat colloquium, demittantur oculi.

Decima additio fusius necnon egregie de poenitentia tractat, et primae hebdomadae in primis convenit.

Decima additio est poenitentia, quae dividitur in internam et externam : interna est dolere de peccatis suis cum firmo proposito non committendi eadem, nec alia quaecumque : externa, seu fructus prioris, est castigatio de peccatis commissis, et (haec) praecipue assumitur tribus modis.

Interna poenitentia illa est quae dolet de offensione Dei, idque vere et in voluntate; consequenter et spem veniae a divina misericordia obtinendae continet; nam desperatio, siquidem et ipsa peccatum est, cum interno de offensa Dei dolore consistere non potest. Doluit Antiochus, non propter Deum, sed propter immissas sibi a Deo poenas temporales; furia remorsuum suorum actus, non

propter offensam, doluit et desperabundus Judas, sed nullo modo ad internam poenitentiam, sed ad novum et ultimum peccatum committendum suicidium : *Poenitentia ductus, retulit triginta argenteos... dicens : Peccavi tradens sanguinem justum... et abiens laqueo se suspendit* (Matth. 7, 3).

Cum magna verborum luciditate, brevitate et theologica sobrietate contritionem definit S. P.; duplicem ejus partem distinguit, quarum prima praeteritum respicit, futurum altera. Sufficit et requiritur *interna* poenitentia, nulla etiam verborum formula adhibita; nec de sensibili dolore mentionem facit, qui quidem valde optabilis est, et quaeritur in Exercitiis, in quibus petuntur lacrymae cum magno et intenso dolore; sed is dolor solus essentialis est qui ex voluntate procedit. De proposito autem valde exacte et magna cum prudentia loquitur : extendi nimirum illud debet non solum ad commissa peccata, sed et ad *alia quaecumque;* secus enim de commissis peccatis non haberetur dolor propter offensam Dei. De *firmo* tantum proposito loquitur S. P., non de dispositione ad moriendum potius quam offendatur Deus, idque sapientissime; nam gratia martyrii raro habetur

actu et formaliter cum contritione, quia tunc actu non est necessaria, sed data circumstantia, a Deo subministraretur; periculosum autem esset, ubi gratia non est necessaria, objicere imaginationi tormentorum supplicia. Ceterum voluntas ipsa subeundi ad non peccandum martyrii in sincero proposito implicite continetur; dabit enim mihi Dominus omnes gratias, ita ut in omnibus, non per me, sed cum ejus auxilio, constem in divino servitio. Inde solum *firmum,* sine addito, propositum ponit S. P., deque eo solo in confessionibus excipiendis agendum est.

Externa poenitentia, quatenus poenitentia est, dicitur *fructus internae* poenitentiae. Cum enim sibi irascatur peccator quod Deum offenderit, sibi ipsi sponte poenam infligit : cumque et corpus et anima ad peccatum concurrerint, animae dolor et contritio imponitur, corpori autem castigatio. Ideo S. P. hanc castigationis speciem praefinit dicendo : *castigatio de peccatis commissis.* Est et aliud castigationis genus, quod videlicet, non tam pro commissis quam pro non committendis peccatis adhibetur, vel ad aliquid a Deo obtinendum, vel ad condolendum Christo.

Non una de causa tam fuse S. P. de exter-

poenitentiis seu mortificationibus disserit; quam enim illae necessariae sint aut utiles, non tantum ex divinis eloquiis, ex ratione et ex Sanctorum exemplis, sed et ex propria experientia didicerat. Inde solebat dicere : « Nullo alio ligno divini amoris ignis magis » inflammatur quam ligno crucis »; cumque de aliquo ei dicebatur : est vir sanctus, respondebat : credo, si mortificationis est vir. In suis Constitutionibus, non solum ut sancta, sed immo ut munda sit filiorum suorum anima, externas poenitentias commendat, *ne,* ait, *fervor spiritus refrigescat, et humani et inferiores affectus invalescant.* Noverat enim edictum Spiritus Sancti : *Si praestes animae tuae concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis* (Eccli. 18, 31). Quot religiosi nunquam aliquam perfectionem attingent, quia, mortificationis ac paupertatis amoris obliti, mensae delicias nimis prosequuntur!

Si quis autem praecipuam esse internam mortificationem, eamque sufficere contendat, sciat primo, ibi pariter internam languere, ubi externa deest; dein audiat Apostolum : *Ego autem sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans* (aerem verberat qui mortificationem internam posse se

sine externa assequi existimat; *sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* (1. Cor. 9, 27). Idem sensit et fecit S. Augustinus : « Carnem vestram, aiebat, domate jejuniis et » abstinentia escae et potus, quantum vale- » tudo permittit. »

Ceterum ex historiis constat omnes eos qui sanctitate in Ecclesia floruerunt, statim ac iter perfectionis sunt aggressi, a Spiritu Sancto ad vitam corporalem durissimam et ad magnas carnis castigationes fuisse inductos. Sic cum S. Ignatio actum est, sic cum Francisco Xav., Francisco Borgia, Petro Claver, Aloysio et innumeris aliis. Idem et in Menologio Societatis continuo cernere est.

Poenitentiae modi tres praecipui (nam millenos alios, etiam in minimis fervor spiritus invenit) recensentur a S. P. N.; quorum

Primus est circa victum; scilicet, quando tollimus (subtrahimus) superflua, non est poenitentia, sed temperantia; poenitentia est, quando de convenienti subtrahimus; et quo plus atque plus (subtrahimus), eo major et melior (est poenitentia); dummodo non corrumpatur (vitietur) subjectum (s. natura), nec sequatur infirmitas notabilis.

Intemperantia peccatum est, virtus vero est

poenitentia. Intemperantia in poenitentiis est imprudentia; in hanc, cum sui dominii esset nec directione frueretur, incidisse se confessus est S. Ignatius. Adeo poenitentiarum usus apud Nostros, primis temporibus, invalescebat, ut eos coercendos judicaret.

Secundus, circa modum somni; et (hic) similiter non est poenitentia tollere superflua rerum delicatarum seu mollium; sed est poenitentia, quando in modo (somni capiendi) subtrahitur de convenienti; et quo plus atque plus (subtrahitur), eo melius, dummodo non corrumpatur subjectum, nec sequatur infirmitas notabilis.

Quo plus atque plus, eo melius; quod progressum significat crescentis semper subtractionis, donec ad eum gradum perveniatur, quem sine notabili infirmitate transgredi non possimus. Ex hoc patet S. Ignatium, etsi in suis Constitutionibus poenitentias omnibus communes imponere, propter rationes sapientissimas, noluit, voluisse tamen ut singuli omnes illas poenitentias sibi assumerent, quae sine notabili infirmitate adhiberi possint. Ut autem limites debitos et attingamus et non praetergrediamur, voluit homines nostros nondum formatos a confessario in hac re dirigi, formatos vero *discreta* erga Deum *charitate*. In

hunc sensum regulam Summarii duodecimam condidit, ut necessarium medium ad servandam undecimam in qua cardo est totius Instituti Societatis nostrae. « Ut melius ad » hunc perfectionis gradum in spirituali vita » tam pretiosum perveniatur, majus ac im- » pensius (en illud : *quo plus atque plus*) stu- » dium cujusque sit, quaerere in Domino » majorem sui abnegationem et *continuam in* » *rebus omnibus* (quod multo latius patet quam » victus, somnus et carnis castigatio), quoad » poterit (sine notabili infirmitate et secun- » dum obedientiam) mortificationem. »

Quoad somni durationem, sic ait S. P. : *Neque etiam subtrahatur de somno convenienti, nisi forte (quis) habeat consuetudinem vitiosam dormiendi nimium, ut perveniat ad medium (s. ad moderatam somni mensuram)*. Non utitur hic S. P. verbis : *quo plus atque plus;* nec vult aliquid detrahi de somno *convenienti;* nam conveniens somnus totus requiritur, ut sive Exercitia, sive quaecumque alia fiant non somnolenter.

Tertius, castigare carnem, scilicet, illi inferendo dolorem sensibilem, qui infligitur portando cilicia, vel funes, vel vectes ferreos, super carnem, flagellando seipsum, vel vulnerando, et aliis asperitatum

modis. Quod videtur commodius ac securius poenitentiae (genus illud) est, ut dolor sit sensibilis in carnibus, et non penetret in ossa, ita ut inferat dolorem, et non infirmitatem. Quapropter videtur esse convenientius flagellare se funibus minutis, qui inferunt dolorem exterius, quam alio modo, qui producat interius infirmitatem notabilem.

Iis omnibus, inter alia addebat sibi S. P. super carnem urticarum manipulos.

Notandum hic poenitentias illas etiam iis qui in saeculo vitam agunt cum magna utilitate suaderi posse; maxima tamen prudentia adhiberi debet, praesertim cum iis qui valde sunt sensibiles, aut qui inde superbirent. Non raro accidit, ut qui ad magnas poenitentias proclives sunt, contrahant exinde duritiem capitis, et illusionibus amoris proprii decipiantur. Multo major adhuc, ubi de feminis agitur, adhibenda prudentia illa est, ne loco boni, mali occasio praebeatur.

Subjicit deinde S. P. notanda quatuor, in quibus et effectus poenitentiarum nitidissime exponit, et intentiones in poenitentiarum usu suggerit alias aliis perfectiores.

1ª *perfecta intentio est : ad satisfaciendum pro peccatis praeteritis*. Perfecta omnino est, si quis injuriae Deo per peccata illatae reparationem

intendat; minus autem perfecta, si poenarum peccatis debitarum expiationem. Sic, ut ait S. Gregorius, puritas conscientiae cum culpis quotidianis potest consistere. Statim enim culpae illae per poenitentiam expunguntur, et Sponsus sponsae semper dicere potest : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

2ª *perfecta intentio* est : *ad vincendum seipsum, scilicet, ut sensualitas obediat rationi, et omnes partes inferiores sint magis subjectae superioribus.* S. Basilius de corpore nostro dicebat : « Ferae instar a nobis cohibendum est »; suum autem ita domabat, ut de illo S. Gregorius dixerit : « Quasi inexorabilis dominus » nullam servo suo corpori relaxationem in- » dulgebat, sed per summam afflictionem et » continentiam flagellabat. » Sic et S. Franciscus Borgia, qui poenitentia consumptus macie tantum constare videbatur. — S. Hilarius corpus suum ita compellabatur : « Ego » te, aselle, faciam ut non calcitres; nec » te hordeo alam, sed paleis. » In usu vini praesertim servanda est poenitentia; nam juxta Spiritum Sanctum, *in vino luxuria est.* S. Hieronymus ait : « Venter mero aestuans » despumat in libidinem. »

3ª *perfecta intentio est, ad quaerendam et inveniendam aliquam gratiam, seu donum, quod homo vult ac desiderat (obtinere a Domino); ut si desiderat habere internam contritionem de suis peccatis, vel flere multum de illis vel de poenis ac doloribus, quos Christus Dominus noster sustinebat in Passione sua, vel ad obtinendam solutionem alicujus dubitationis, in qua homo ipse versetur.* Sic, ut ab Holopherno liberarentur, Israelitae *humiliaverunt animas in jejuniis, et orationibus, ipsi et mulieres eorum. Et induerunt se sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio. Et clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter* (Judith. 4, 8).

Ego autem, ait David, *cum mihi molesti essent, induebar cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam* (Ps. 34, 13). Ipsa illa humiliatio, quae inest poenitentiae cor Dei movet quam maxime. Angelus enim dixit Danieli : *Ex primo die, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei, exaudita sunt verba tua* (Dan. 10, 12); scilicet exaudita non sunt verba tua, nisi ex eo die quo orationi poenitentiam addidisti. « Credite mihi, aiebat » discipulis suis sanctus Antonius eremita, » pertimescit satanas piorum vigilias, oratio-

» nes, jejunia, voluntariam paupertatem. » Sanctus autem Marcus : « Diabolus non ces- » sat impugnare; ergo nec cessare poenitentiam debemus. »

4ª *perfecta intentio* est, ut fervor animae foveatur. « Ne fervor spiritus, ait S. Ignatius » in suis Constitutionibus, intepescat. »

Audi S. Gregorium : « Quemadmodum » carnem mollia nutriunt, ita animam dura » ad alta sustollunt. Illa namque deliciis pas- » citur, haec amaritudinibus vegetatur. Deni- » que illam lenia refovent, istam vero aspera » exercent. »

Inde 1. Sancti omnes mortificatione emicuerunt. 2. Poenitentiarum usus in omnibus Ordinibus religiosis viget. 3. Propria quisque novit experientia se, dum fervet in divino servitio, pronum esse ad poenitentias, secus autem cum tepere incipit. 4. Ubi quis languet in poenitentiis adhibendis, solet Deus eum, permittendo tentationes, excitare.

Hinc facile intelligetur, cur ex una parte mundani homines, delectationibus inhiantes et omnem mortificationem fugientes, tot mortalia peccata committant; et ex altera, cur certi viri religiosi caelestibus careant consolationibus.

Quinta intentio, eaque perfectissima, est velle ex amore Christi Jesu tot ac tanta tormenta ex amore nostri sustinentis assimilari; assimilari item Apostolis, Martyribus, aliisque Sanctis qui tanta pro Christo tolerarunt. Haec praecipua, in praescribendis jejuniis et abstinentiis Sanctae Ecclesiae intentio est. « Me» rito, ait S. Leo, a Sanctis Apostolis, per » doctrinam Spiritus Sancti, majora sunt in» stituta jejunia, ut per commune consortium » Crucis Christi, etiam nos aliquid in eo quod » propter nos gessit, ageremus. »

Tertium (notandum est) quando ille qui se exercet nondum invenit id quod desiderat, ut lacrymas, consolationes etc., saepe prodest mutationem facere in victu, etc. Praeter insignem prudentiam, quae in hoc notando elucet, animadvertamus eam fuisse in mente S. Ignatii Exercitiorum vim, ut si rite, si cum liberalitate de qua in 5ª Annot., si ad normam Additionum et cum ordinata directione perficerentur, impossibile esset non pervenire ad magnos animi motus, ad lacrymas, ad consolationes, modo adderentur poenitentiae.

EXPLICIT PRIMUS TOMUS.

ERRATA

Errata	Corrige
p. 50, l. 22, tententiones . . .	tentationes.
p. 58, l. 23, spontaneitem . . .	spontaneitatem.
p. 104, l. 12, et.	nec.
p. 134, l. 13, cum	eum.
p. 163, l. 2, ut.	ut et.
p. 169, l. 2, quem	quod.
p. 186, l. 18, pavere	parere.
p. 195, l. 12, quaerabat. . . .	quaerebat.
p. 203, l. 20, promptiorum . . .	promptiorem.
p. 213, l. 21, ignominiosisse . .	ignominiosissime.
p. 226, l. 12, qui	quid.
p. 227, l. 11, alaboraverit . . .	adlaboraverit.
p. 239, l. 1, juxeris	junxeris.
p. 269, l. 1, simultane	simultanee.
p. 337, l. 3, dies	die.
p. 365, l. 24, delectione	delectatione.
p. 405, l. 11, transgredi	legem transgredi.
p. 407, l. 20, vinae.	vineae.

ELENCHUS

Tomi primi

---

pag.

Approbationes v
Praefatio. . . . . vij

PARS PRIMA

De Annotationibus. — Earum titulus 1
1ª Annotatio. Quid sint Exercitia 4
Meditatio et contemplatio 7
De proximo Exercitiorum scopo 13
2ª Annotatio. Principia quaedam generalia circa puncta praeparandae meditationis 9
3ª Annotatio. Circa ipsam meditationis horam 22
4ª Annotatio. Circa hebdomadarum distributionem . . . 24
5ª Annotatio. Circa dispositiones illius qui accipit Exercitia . 24
6ª Annotatio. Monita circa modum agendi tradentis Exercitia cum exercitante. Quid si hic nullos animi motus experiatur? 32
7ª Annotatio. Quid si desolatus, vel tentatus? 33
8ª Annotatio. De regulis discretionis spirituum applicandis, primo in genere 38
9ª Annotatio. Circa regulas primae hebdomadae 40
10ª Annotatio. Circa regulas secundae hebdomadae . . . 42
11ª Annotatio. Exercens ignoret quae postea facturus sit . . 44
12ª Annotatio. Monita circa modum faciendi Exercitia, eaque dirigendi : hora integra in singulis Exercitiis . . . 47
13ª Annotatio. In desolatione hora producenda 49
14ª Annotatio. In consolatione, *primo,* Exercens nullum votum emittat 53
15ª Annotatio. *Secundo,* neque ad id director impellat . . 57

pag.
16ª Annotatio. Quid, ne Exercens ad minus bonum aberret . 63
17ª Annotatio. Varias exercentis agitationes cognoscat director. 69
18ª Annotatio. Monita circa personarum exercentium classes : de rudibus et de debilibus 73
19ª Annotatio. De idoneis, sed impeditis 81
20ª Annotatio. De idoneis et expeditis. Segregationis utilitates. 83

Exercitia Spiritualia

Exercitiorum titulus 97
Exercitiorum essentia 99
Exercitiorum scopus 101
Nota circa Exercitiorum orthodoxiam 106

Principium

Principium seu Fundamentum 111
De fine hominis 116
Finis proximus 118
Deus est principium 118
Deus est finis meus 123
Quomodo tendit homo ad finem suum 131
Laus Dei 132
Reverentia Dei 140
Servitium Dei 143
De fine hominis ultimo 147
De fine creaturarum 153
De recto creaturarum usu 161
De indifferentia 166
De perfectissimo creaturarum usu. 171
Examen particulare 175
Examen generale 185
De cogitatione. 187
De modis peccandi mortaliter 204
De verbo 207
De opere 219
Examinis generalis modus. 219
Confessio generalis et sacra Communio 224

PRIMA HEBDOMADA

Conspectus generalis de tribus viis 235
Primae hebdomadae scopus et materia 237

pag.

De ratione meditandi 247
Oratio praeparatoria 249
Praeambula. Primum praeambulum 251
Secundum praeambulum 259
De primo S. P. N. Exercitio. 266

Prima dies

1m *Exercitium*. Angelorum creatio, lapsus, transformatio . . 273
Colloquium 283
2m *Exercitium*. Peccati Angelorum poenae : amissio caeli, — infernus 288
De repetitionibus 294
3m *Exercitium*. Repetitio 297
4m *Exercitium*. Tertii resumptio 305
5m *Exercitium*. Applicatio sensuum ad peccatum Angelorum : Proelium — Exturbatio — aeternitas 306

Secunda dies

1m *Exercitium*. Hominis creatio, lapsus, transformatio. . . 314
2m *Exercitium*. Peccati Adae sequelae : triplex sententia, poenae hujus vitae, corruptio 326
3m *et* 4m *Exercitium*. Repetitio et resumptio 334
5m *Exercitium*. Applicatio sensuum : mortis sententia, ingressus mortis in mundum, mortis satellites 334

Tertia dies

1m *Exercitium*. De damnato ob unum peccatum : status gratiae, tentatio, lapsus 342
2m *Exercitium*. Sequelae illius peccati, in anima, in morte; damnatio 346
3m *et* 4m *Exercitium*. Repetitio et resumptio 351
5m *Exercitium*. Applicatio sensuum ad judicium particulare illius damnati : apparitio coram judice, causae instructio, sententia 352

Quarta dies

Praenotanda 357
1m *Exercitium*. Processus peccatorum totius vitae : Peccata mortalia, venialia, tepor et ignavia 364

pag

2m *Exercitium.* Peccatorum foeditas et malitia : Foeditas in genere, in specie; malitia 372
3m *et* 4m *Exercitium.* Repetitio et resumptio 379
5m *Exercitium.* Applicatio sensuum ad 1m praeambulum, anima in corpore, totum compositum, miseriae mundi . . 379

Quinta dies

1m *Exercitium.* Quid sum, relate ad creaturas, relate ad Deum? Quid quoad corpus et animam? 386
2m *Exercitium.* Comparatio Dei mecum, quoad sapientiam, potentiam, justitiam, bonitatem 396
3m *et* 4m *Exercitium.* Repetitio utriusque praecedentis cum exclamatione 5i puncti S. P. N. 409
5m *Exercitium.* De ultimo peccatorum generis humani dedecore et poena : Praedictiones et signa ultimi judicii, resurrectio mortuorum, judicium et damnatio 418

Sexta dies

Praenotanda de Inferno 426
1m *Exercitium.* De Inferno : cruciatus universales, poenae sensuum varie adaptatae, cruciatus continui et aeterni. . 430
Colloquium 436
2m *Exercitium.* Poena damni, in intellectu, in voluntate; desperata rabies 441
3m *Exercitium.* Repetitio utriusque praecedentis 445
4m *Exercitium.* Praenotanda. — Viae ad infernum : Peccata venialia charitatem imminuunt et viam sternunt ad mortalia. Eorum foeditas in se 146
5m *Exercitium.* Applicatio quinque sensuum ad infernum. . 457
Conclusio 468
Decem Additiones 471

Mechliniae, Imp. L. & A. Godenne.

6346